PROGRAMM

des

Königl. Gymnasiums in Rottweil

zum

Schlusse des Schuljahres 1902-1903.

Inhalt:

I.

Abhandlung des Professor Dr. Kottmann:

De elocutione L. Junii Moderati Columellae.

II.

Nachrichten über das Schuljahr 1902—1903

von **Rektor, Oberstudienrat Dr. Eble.**

ROTTWEIL.
M. ROTHSCHILD's BUCHDRUCKEREI.
1903.

1903. Progr.-Nro. 678.

De elocutione

L. Junii Moderati Columellae

scripsit

Professor Dr. Kottmann.

Praefatio.

Si quae studia philologi ad perscrutandam singulorum scriptorum Romanorum elocutionem contulerint circumspiciemus, manifesto deprehendemus vix ullius scriptoris monumenta minus esse tractata quam Columellae, quod sane valde mirandum est, quippe cum et genus dicendi exhibeat haud iniucundum et iis, quae de re rustica disseruit, sine dubio princeps scriptorum rei rusticae evaserit. Nuperrime quidem nonnulli viri docti non exiguam curam posuerunt in Columellae libris; sed V. Tinajero [1]), qui Columellae libros in linguam Hispanicam transtulit, in praefatione de vita scriptoris, V. Barberet [2]) et G. Becher [3]) „de Columellae vita et scriptis“ agunt atque eius elocutionem leviter tantum attigerunt, G. Schroeter [4]),

---

[1]) Los doce libros de agricultura de Lucio Junio Moderato Columela nuevamente reimpresos con la biografía del autor por Don Vicente Tinajero. Madrid 1879.

[2]) V. Barberet: De Columellae vita et scriptis. Nantiaci 1887.

[3]) G. Becher: De L. Junii Moderati Columellae vita et scriptis. Lipsiae 1897.

[4]) G. Schroeter: De Columella Vergilii imitatore. Jenae 1882.

J. Häussner[1]), Ed. Stettner[2]) studia sua revocaverunt in librum decimum, qui poëticis numeris (Col. X praef. 3) est conscriptus; F. Prix[3]) vero disputavit quidem de sermone Columellae, sed nihil aliud attulit nisi substantiva, adiectiva, adverbia, verba, quae rarius aut apud solum Columellam aut apud ipsum primum occurrunt. Quodsi mihi proposui universum Columellae genus dicendi tractare, nihil supervacaneum me facturum esse arbitror.

Quod attinet ad operis dispositionem, ordinem a Draegero in praeclaro illo scripto: „Ueber Syntax und Stil des Tacitus" observatum, quo aptior ad usum esset haec commentatio, libere secutus sum. In laudandis singulis locis editione J. G. Schneideri[4]): Scriptorum rei rusticae veterum Latinorum tom. II. Lipsiae 1794, usus sum atque eum Columellae librum, qui inscribitur „de arboribus", brevitatis causa semper laudavi tanquam tertium decimum.

Priusquam ad ipsam rem aggredior, juvat paucis dicere, quid generatim atque universe de Columellae dicendi genere sentiam. Cum existimatores doctissimi et intellegentissimi[5]) omnes fere sermonis Columelliani elegantiam laudent, H. Schiller (in: Geschichte der römischen Kaiserzeit I, 479) hoc de eo iudicium fecit: „Im allgemeinen ist der Schriftsteller über die Gestalt seines Stoffes nicht Meister geworden, die Sprache kunstlos, ja roh." Columellam qui aliqua cognitione attigerit et unum eius volumen veloci oculo percurrerit, facile intelleget, quam iniquum sit hoc iudicium. Columella, vir humanitate politus et doctrina instructus, scripsit de rebus rusticis, sed sine rusticitate, et ut in transitu et progressu orationis ad nova exempla saepius varietas quaedam desideratur[6]), ita magna arte tenuem

---

1) J. Häussner; Die handschriftliche Ueberlieferung des L. Junius Moderatus Columella mit einer kritischen Ausgabe des X. Buches. Progr. Karlsruhe 1889.

2) Stettner, Ed.: De L. Junio Moderatore Columella Vergilii imitatore. Progr. Triest 1894.

3) F. Prix: Sprachliche Untersuchungen zu Columella. Progr. Baden (Oestr.) 1883. cf. ad. hoc Archiv f. lat. Lex. u. Gramm. I p. 127 (1884).

4) Dolendum est, quod nondum editio exstat, quae quasi dux fidus semper praesto sit. Nuperrime quidem Vilelmus Lundström magnum laborem suscepit, in collectione scriptorum veterum Upsalensi Columellae operum editionem vere criticam emittere, sed ad hoc tempus tantum librum de arboribus et librum decimum a viro doctissimo accepimus et magnum temporis spatium intercedet, dum omnes libri in lucem prodierint. Ceterum loci ex libro de arboribus secundum Schneideri editionem laudati secundum editionem a V. Lundström emissam non erant mutandi.

5) Cfr. Teuffel-Schwabe, Geschichte der röm. Lit. V. Aufl.
„ Martin Schanz, „ „ „ „ II. „

6) Cfr. formulas: hactenus praecipiendum existimavi XI, 3, 65; hactenus praecepisse abunde est V, 12, 5; est et alterum genus VI, 37, 1; sunt et regiae et radii XIII, 17, 3.

et exilem materiam eleganti oratione vestiendo et ornando id compensavit et tersior est quam ceteri rei rusticae scriptores. Enimvero non pauca in eius elocutione inveniuntur, quae sermonis cotidiani propria sunt, neque mirum hoc est, si cogitamus Columellam rusticis libros suos conscripsisse; nonnullis locis, quod attinet ad rationem syntacticam, declinavit ab aureae aetatis scriptoribus; argenteae aetatis vestigia eo quoque deprehenduntur, quod nonnunquam poëticis vocibus utitur [1]; at non invenies apud Columellam quaesitum illud et artificiosum et praedulce scribendi genus, quod peculiarem ei aetati, qua Columella suum de re rustica opus composuit [2], loquendi indolem ac formam effecit. Recte igitur V. Barberet [3]) dicit: „quam maxime discrepat ab omnibus suae aetatis scriptoribus, ut nemini ex oratione tantum conicienti occurrere possit, eum iisdem temporibus, quibus Seneca nec multis ante Plinium et Tacitum latinitatis eam speciem edidisse.“ Columella non congerit aut cumulat ornatum, non inhiat effectibus, sed elocutio eius nativa simplicitate naturalique candore excellit. Ut saepius corruptos suae aetatis mores queritur et laudibus effert simplices priorum temporum res [4]), ita in scribendi genere non aequales imitatur, sed veteres, inprimis Ciceronem et Vergilium quasi exempla sibi proposuit ad imitandum. Itaque exceptis paucis locis lepida et venusta optimisque latinitatis auctoribus digna utitur dictione et praecipue praefationes singulis libris praemissae specimen esse possunt orationis cum perpolitae, tum aequaliter et ample fluentis.

Sed jam praefari desinamus et accedamus ad ipsam quaestionem.

---

1) Cfr. e. g. II, 2, 23 agros vomere sauciare; III, 21, 3 alma tellus annua vice velut aeterno quodam puerperio laeta mortalibus distenta musto demittit ubera.

2) Veri simillimum est Columellam opus suum confecisse circiter annum 65.

3) l. l. p. 47.

4) Cfr. 1 praef. 3; 14. X praef. 2. XII praef. 8. al.



Pars I.

De ratione syntactica.

Caput I.

De substantivis.

§ 1.

Ut optimi scriptores nomina leguminum et frugum singulari numero ponunt, ita Columella,[1]) e. g.: II, 7, 1 leguminum genera — maxime grata — videntur: faba, lenticula, pisum, phaselus, cicer, cannabis, milium, panicum, lupinum, linum, ordeum, ptisana, vicia. II, 11, 11 ervum laetatur loco macro. XII, 52, 4 ne bacam transmittere queant.

Livianam dicendi consuetudinem secutus Columella aliis quoque nominibus haud raro collective usus est: XII, 2, 5 in exercitu neque miles neque imperator — quicquam valet[explicare, cum armatus inermem, eques peditem, plaustrum equitem confundant; — I, 3, 11 hostis — civis; I, 7, 5 servus; X, 12 perpetitur querulae semper convicia ranae.

Nomina propria plurali numero ponuntur, ut genus aliquod hominum insignium significetur: 1 praef. 32 multum profecerit, si usu Tremellios Sasernasque et Stolones nostros aequaverit. Variandi studio ductus Columella singularem iuxta pluralem numerum adhibuit IV, 11, 1 quod frustra Vergilius et Saserna Stolonesque et Catones timuerunt.

§ 2.

Substantiva abstracta Columella frequenter pluraliter adhibet; haec fere afferenda putavi: adiutoria 12 praef. 1; aestus II, 9, 18; III, 2, 15; IX, 7, 4. calores I, 5, 4; 12 praef. 4. desideria VI, 27, 7. 10 praef. 2. ebrietates 1 praef. 16. fastidia VI, 6, 1; VI, 8, 1. flatus I, 5, 8. frigora I, 4, 8; XI, 3, 11; 12 praef. 4. fugae X, 125. gelicidia II, 10, 6; II, 8, 3; III, 1, 7. iniuriae I. 8, 17. immunditiae I, 6, 11. languores VII, 7, 1. mortes IX, 11. 2. munditiae IX. 14, 15.

[1]) In decimo libro, qui poëticis numeris conscriptus est, haec verba pluraliter dicuntur: X, 301 Nascuntur gracilique melantia grata cumino. cf. X, 113 ulpica; X, 319 ocima.

nidores VIII, 5, 18. pernicies VIII, 14, 9. pulsus I, 6, 23. serenitates III, 1, 10. siccitates II, 16, 3; III, 20, 1; XI, 3, 60. solitudines VII, 6, 9; VIII, 11, 1. somni VII, 10, 4. tepores II, 9, 8. usus I, 6, 21; XII, 13, 1. varietates II, 2, 2.

Ex substantivis „materialibus“ haec inveni exempla pluralis numeri: aquae I, 2, 5; XI, 3, 20 (al.). adipes VI, 2, 15; VIII, 14, 11. arenae[1]) 1 praef. 24. carices X, 320. cerae IX, 15, 7; VIII, 9, 11. frumenta II, 6. 1; VIII, 9, 2 (saepissime). ignes I, 6, 18; IX, 5, 6; IX, 6, 2. lanae XII, 3, 6. mella IX, 4, 4; IX, 4, 6. pluviae IV, 17, 7; XI, 3, 63. pruinae II, 8, 3; XI, 3, 63. rores II, 10, 10; VI, 3, 6. rura IX, 15, 8. sales VII, 4, 8; VIII, 17, 12. salivae IV, 9, 2. sola (horreorum) I, 6, 16. soles II, 15, 6; II, 19, 1. stercora II, 13, 9; II, 22, 3. venena VI, 17, 1.

§ 3.

Nonnulla substantiva, quae exeunt in „tor“, Columella adiectivorum loco usurpat: VI, 2, 11 cubitorem bovem emendare. VIII, 2, 7 ne obsidiis — insidiatorum animalium diripiantur. XI, 1, 16 vix dici potest, quid navus operarius ignavo et cessatore praestet.

Caput II.

De adiectivis.

§ 4.

Usus ille adiectiva et participia substantivorum loco adhibendi, qui, cum iam apud optimos scriptores exstet, tamen inde a Livio multo longius manavit, apud Columellam maxime viget.

a) Usurpantur ita persaepe adiectiva et participia masculini generis singularis numeri. Nominativi: alienissimus (rusticae vitae) III, 21, 3. armatus XII, 2, 5. aviarius VIII, 3, 4. conterminus I, 3, 7. ferus IX, 1, 7. locuples 1 praef. 12. nullus XI, 1, 11. valentissimus — peritissimus XI, 1, 7. —

Genetivi: domestici — exteri XI, 1, 13. rustici VI, 37, 11; VIII, 1, 1. docentis magisterium I, 1, 16. medentis VI, 19, 3. possidentis 9 praef. 1. probantis VI, 36, 3. providentis III, 20, 1. prudentis est 1 praef. 2 (et saepius).

Dativi: alieno — suo VII, 9, 11. ebrioso XI, 1, 13. jejuno VI, 30, 5. cunctanti XI, 1, 29. empturo I, 2, 2. observanti IX, 8, 9. possidenti IX, 5, 2.

Accusativi: defectissimum 1 praef. 12. maleficum VII, 12, 3. prudentem

[1]) A. Gellius (Noct. Att. XIX, 8, 3) refert, C. Caesarem arenas vitiose dici existimasse.

III, 21, 2. somniculosum XI, 1, 13. fatigatum XII, 3, 7. advenientem I, 1, 6. ementem VIII, 6, 3. insidiantem VII, 12, 4; VIII, 13, 2. peccantem XI, 1, 9. serentem III, 19, 2.

Ablativi: (cum) domestico — extero I, 8, 5. (ab) imprudentissimo III, 20, 6. a stante VIII. 10, 2. (a) tenero V, 6, 20. (ab) impubi — abstinentissimo (rebus venereis) XII, 4, 3.

b) Adiectiva et participia masculini generis plurali numero pro substantivis posita permulta apud Columellam inveniuntur:

Nominativi: antiqui I, 7, 2 (saepissime). callidissimi (rerum rusticarum) II, 2, 1. cupidi 1 praef. 3. imprudentissimi III, 10, 6. morbidi VI, 5, 1. nostri VI, 17, 2. periti II, 4, 4. prudentiores IV, 2, 1. rustici II, 4, 8 (saepissime). priores I, 4, 3. prisci 1 praef. 6 (et al.). studiosi 1 praef. 3. veteres I, 1, 6. dispersi I, 9, 7, rimantes 1 praef. 3. spectantes audientesque XII, 2, 4. Feminini generis est: lanigerae (= oves) VII, 6, 5. —

Genetivi: elegantium VII, 2, 1. locupletum VIII, 17, 3. mortalium III, 1, 3 (saepius). praepotentium I, 3, 12. validiorum IX, 13, 1. vetustiorum IX, 9, 1. canentium XII, 2, 4. contendentium III, 13, 11. discentium 1 praef. 28. effeminatorum 1 praef. 15. intrantium exeuntiumque I, 6, 6. nantium VI, 7, 1; VIII, 14, 1. natorum VIII, 27, 13. pascentium VII, 3, 10. praetereuntium IV, 20, 5. runcantium XI, 3, 13. spectantium 1 praef. 15. —

Frequentissimus est dativus: aegris XII, 1, 6. agrestibus VIII, 2, 1. ingenuis 1 praef. 13. jejunis VII, 10, 4. junioribus IX, 11, 2. mortalibus 1 praef. 1; III, 21, 3. probis XI, 1, 25. rusticis II. 2, 22. sanis VI, 30, 1. studiosis I, 1, 17. subiectis XI, 1, 4. summis — inferioribus 1 praef. 31. teneris VIII, 5, 18. audientibus XII, 2, 4. discentibus IV, 29, 2. febricitantibus VII, 5, 20. festinantibus IV, 29, 5. circumspectis I, 8, 16. intrantibus VIII, 3, 2. laborantibus VII, 5, 19. lactentibus VII, 5, 21. medentibus VI, 19, 1. mercantibus III, 2, 1. nantibus VIII, 15, 3. retractantibus I, 4, 1. runcantibus II, 20, 26. sitientibus VII, 10, 5. volentibus IX, 13, 3. non solum aliud acturis, sed etiam agrum paraturis I, 3, 8. (plantae) magis alvearia curantibus quam olitoribus conseruntur XI, 3, 39.

Rarior est accusativus et ablativus: apud antiquos nostros 1 praef. 13. agrestes VII, 2, 1. bonos et sedulos XII. 3, 10. gnaros 1 praef. 4. ignavos I,. 9, 8. (per) innocentes I, 9, 5. mortales 1 praef. 6. (per) noxios I, 9, 5. peritos 1 praef. 4. (apud) priscos 10 praef. 1. subiectos I, 8, 10. suos et alienos VIII, 5, 7. (per) alligatos I, 9, 4. (in) cessantes I, 9, 6. delinquentes I, 8. 10. — (a) diligentioribus IX, 15, 13. (ab) indoctis 1 praef. 11. aliqui ex melioribus — bonis I,

8, 10. (a) participibus (agrestium operum) 1 praef. 28. (a) sanis VI, 5, 1. pro nocentibus 1 praef. 9. summis atque humillimis 10 praef. 1.

c) Neutra singularis numeri adiectiva et participia non minus saepe substantivorum loco posita reperiuntur. Nominativi et Accusativi: exiguum VII, 3, 17 (saepissime). minimum — plurimum (solis) I, 6, 2. (saepius). nubilum XII, 55, 3. restibile II, 10, 6. serenum XII, 38, 6. terrenum VIII, 16, 1. tantum (humoris) XII, 10, 3. totum I, 6, 17. viride et tenerum IV, 37, 3. insigne VIII, 2, 8. conditum I, 7, 7. debitum 10 praef. 1. malefactum I, 9, 6. pastinatum III, 13, 7. — Genetivi: cum alicuius indigeas XII, 2, 3. boni malique III, 5, 2. calidi et frigidi, humidi et aridi, densi et rari III, 12, 3. recti viam docere XI, 1, 9. virentis III, 10, 2. quicquid immundi IX, 14, 13. quicquid residui III, 17. 4. quicquid vitiosi VI, 17, 6; (at IX, 15, 5 legitur quicquid sordidum). — Dativi: fluido VIII, 16, 1. nigro II, 10, 35. consaepto I, 6, 1. — Ablativi: alio distat taurus VI, 20. clauso custodire 12 praef. 3. inferiore I, 6, 17. riguo IV, 31, 2. uno differt, V, 5, 11.

Praesertim vero Columella talia adiectiva coniungit cum praepositionibus, non raro ita, ut adverbialem quandam vim habeant eiusmodi locutiones. Qui usus, quamquam ne apud optimos quidem scriptores deest, tamen satis angustis finibus apud eos circumscriptus est.[1]) Exempla habes apud Columellam haec: ab imo I, 5, 9 (saepius). ab inchoato IV, 3. 1. ad medium XIII, 4, 5. ad multum (necessarius) IX, 16, 1. ad summum IV, 20, 2. ad vivum VI, 12, 3. de medio V, 6, 35. de integro IX, 16, 1. ex aequo VI, 31, 2. ex alto III, 7, 3. ex angusto IX, 14, 9. ex concitato VI, 29, 3. ex commodo VI, 2, 14. e contrario XI, 1, 11 (saepe). e duro III, 10 3. ex facili IV, 33, 4. VI, 6, 1; XII, 46, 1. ex integro IX, 13, 8. ex longinquo VI, 2, 13; XIII, 1, 3. ex placido VI, 29, 3. ex praescripto 1 praef. 23. ex propinquo IV, 15, 3. e tenero II, 20, 2 (saepius). ex toto II, 21, 2; V, 8, 6. ex vicino IV, 29, 13; VII, 2, 4; I, 6, 7. in adversum IV, 25, 2. in altum XI, 3, 62. in apricum XI, 3, 38. in cassum (recidere), IV, 3, 5. in commune 12 praef. 8. in diversum III, 15, 2. in futurum III, 10, 13. in infinitum V, 3, 9. in perpetuum I, 3, 8. in posterum XIII, 6, 3. in profundum III, 11, 3. in summum IV, 4, 2. (in quantum III, 10, 20.) in tantum XI, 1, 28 (saepius). in totum III, 2, 31; XI, 2, 80; XII, 1, 4. in universum III, 12, 6. in unum XII, 28, 1. — in alto XIII, 6, 4. in aperto 12 praef. 6. in arcano et operto III, 10, 10. in egeno IV, 31, 1. in imo XII, 2, 1 (saepe). in mediterraneo XII, 25, 1.

---

[1]) Cfr. Draeger. Histor. Syntax der lat. Sprache. II. Aufl. 1 pg. 55.

in plano VIII, 17, 14 in profundo III, 1, 8. in propatulo 12 praef. 1. in propinquo IX, 8, 12 (et saepius). in proximo IX, 12, 4. in summo III, 13, 10. in toto I, 7, 2; VI, 26, 3; XII, 1, 4 (saepissime). in tranquillo VIII, 17, 10. in vicino I, 5, 1; XII, 44, 8. per summum (terrae) III, 11, 3. per proscissum II, 2, 25. propter insigne (candoris) VIII, 2, 7. vivo tenus IV, 25, 5. usque ad imum XII, 56, 1. usque ad summum XII, 47, 2. usque in summum XII, 50, 3; XIII, 4, 5.

d) Adiectiva et participia neutrius generis plurali numero instar substantivorum adhibita apud Columellam non ita multa exstant atque ea pleraque nominativum et accusativum indicantia: campestria collina III, 2, 6. cuncta II, 12, 3. modo in elatiora, modo in depressiora clivi II, 4, 10. montium ima III, 11, 8. cf. II, 17, 7. iusta reddere I, 8, 11. iusta cibariorum V, 6, 4. ad iusta perducere VI, 30, 5. in hiberna et aestiva digerere I, 6, 1. ad minora XII, 55, 1. paria facere I, 8, 13. haec duo principalia I, 3, 2. reliqua I, 8, 12. similia VI, 36, 4. singula 1 praef. 4. sollemnia festorum VIII, 21, 5. per summa terrae III, 19, 1. in transversa — in edita IV, 12, 3. vetera I, 8, 12. vicina vallis IX, 5, 2. congesta II, 14, 6. excreta tritici VIII, 4, 1; VIII, 8, 6. sata II, 8, 5. placita IX, 2, 1. virentia IX, 5, 6. culta I, 2, 5.

Genetivi: discordantium II, 2, 3. praeteritorum-praesentium I, 3, 7. virentium III. 1, 9; IV, 1, 4; XI, 3, 51. — Dativi: editioribus IX, 5, 1. similibus VI. 36, 4. virentibus I, 5, 8, (et saepius cf. II, 2, 23; III, 8, 1. III, 15, 5. [1]) — Ablativi: modicis cavis VIII, 3, 9. in clivosis III, 19, 1. esculentis IX, 14, 3. de frigidis in frigida, de calidis in similia III, 9, 8. secretis III, 10, 10. de siccaneis et riguis II, 2, 4. tepidis VIII, 14, 7. in vestiariis I, 8, 17. viridibus VIII, 15, 4. in aratis II, 17, 7. flaventibus iam satis II, 20, 2. in praebitis I, 8, 17.

§ 5.

Gradus adiectivorum Columella nonnullis adverbiis minus usitatis augere solet.

a) Ad vim positivi gradus adiectivorum augendam persaepe adverbio „bene“ utitur, id quod vulgaris esse sermonis inter omnes constat. [2]) II, 9, 1 bene uberem campum. XII, 2, 2 bene illustre conclave. XII, 21, 2 semuncia bene plena. XII, 30, 1 quamdiu bene frigidum erit. XII, 38, 2 bene maturae uvae. XII, 39, 1 uva bene matura. XII, 53, 1 vas bene solidum.

---

[1]) Dativi usum cum apud omnes scriptores, tum apud Ciceronem rarissimum esse Draeger (H. S. I pg. 51) docet.

[2]) Cfr. E. Woelfflin. Lat. et rom. Compar. p. 14. Thielemann, de serm. Cornific. in Dissertat. phil. Argentorat. vol. II. 1879. pg. 73.

b) Ad vim comparativi gradus augendam Columella fere semper adverbium „longe" pro „multo" adhibet, quod nondum apud Ciceronem et Caesarem, sed persaepe apud Sallustium invenitur. [1])

Hoc quoque cotidiani sermonis videtur esse proprium. [2]) Pauca affero exempla: longe laetior V, 6, 3. longe celerius III, 5, 2. longe magis VII. 12. 12. longe maior VIII, 14, 5; XI, 3, 20. longe melior VI, 2, 12; VI, 3, 5. longe melius XI, 3, 20; XII, 26, 2. (multo melius XII, 28, 4.) longe minor V, 8, 1; VIII, 8 9. longe utilius VII, 3, 13.

Fortasse hic locus est, ut commemorem, Columellam saepius comparativum gradum exprimere adverbio „magis" vel „minus" cum positivo gradu coniuncto, quem usum apud optimos scriptores rarissime inveniri docet Woelfflinus.[3]) Jta Columella dicit: V, 6, 24 uberiorem fructum et magis facilem cultum sequentes. III, 10, 22 haec pluribus dicta sunt, quam exigebat ratio veritatis, minus tamen multis quam etc. IX, 1, 3 magis diuturnus. magis aptus. IX, 3, 1. magis frigidus XI, 2, 23. magis frequenter XI, 3, 56. magis similis VI, 37, 5. magis tolerabilis VIII, 8, 1. magis utilis VII, 3, 3.

c) Superlativus quoque gradus a Columella nonnullis locis adverbiis minus usitatis augetur: IX, 3, 3 apis, si saevior, maxime pessima est. VIII, 17, 1 stagnum censemus eximie optimum, quod etc. (Eximie cum positivo gradu coniunctum exstat I, 3, 9 ager angustus eximie). His ex locis apparet, superlativi vim Columellae aetate iam ita fuisse deminutam, ut paene eadem esset atque positivi vis. Jdem cernitur, ubi Columella superlativum et positivum haud raro componit;[4]) praesertim vero haec sententia probatur eo, quod Columella viginti locis particulam „quamvis" cum superlativo coniunxit: I, 3, 2 quamvis feracissimo pinguique agro. III, 2, 13 quamvis generosissimus (sapor) sit. XI, 1, 6 quidam quamvis operum probatissimi artifices. [5])

§ 6.

Usus ille adiectiva pro adverbiis ponendi apud Columellam multo crebrior est quam apud aureae, quae vocatur, latinitatis scriptores: 1 praef. 16

---

1) Cfr. Krebs-Schmalz, Antibarbarus der lat. Sprache. VI. Aufl. II p. 30 f. u. Archiv für lat. Lexicographie u. Grammatik IV, 164.

2) Cfr. A. Koehler; De auct. belli Africani et belli Hispaniensis latinitate in Act. Sem. Erlang. I p. 414.

3) Cfr. Woelfflin. Lat. et. rom. Compar. pag. 31.

4) Vide infra pag.

5) reliqui loci sunt; I, 6, 15; II, 2, 18; II, 12, 25; II, 4, 7; II, 12, 8; III, 21, 4; III, 17, 3, IV, 24, 17; IV, 24, 19; V, 12, 1; VII, 2, 2: VII, 3, 8; VII, 8, 4; VIII, 16, 1; IX, 14, 15; XI, 3, 12; XIII, 28, 1.

ut apti veniamus ad ganea. VII, 3, 25 circumspectus ac vigilans — moderetur. 1 praef. 17 qui desides cunctarentur. XI, 3, 3 sepes diuturnior permanet. III, 1, 3 (vitis) felix provenit. VI, 27, 8 quanto fortior (mas) inierit. III, 11, 15 haec solent fortia et laeta et gravida fructu consurgere. I, 1, 18 frequens. cf. VIII, 16, 9. IV, 29, 6 ut (surculus) imbres immobilis pati possit. IV, 24, 18 palmes infirmus exit. VI, 2, 10 invitus. cf. III, 3, 13. III, 21, 3 alma tellus — laeta mortalibus distenta musto demittit ubera. II, 20, 5 Favonius lenis aequalisque perflat. XI, 1, 14 lenti procedunt. VI, 2, 10 piger iuvencus iungitur. II, 10, 23, napus melior exit. I, 6, 15 qui (situs) si nullus adsit. cf. XIII, 12, 2. XI, 3, 45 stilus non omnis tollendus est. IX, 12, 2 pavidus. VI, 5, 3 (consiligo) plurima nascitur. VIII, 10, 1 caveis clausi plurimi despondent. VII, 6, 5 quietus. I, 9, 3 arator stivae rectus innititur. I, 6, 6 ut bos stans vesci possit. VII, 3, 16 cum transversus haeret conceptus. VIII, 8, 5 aves vegetiores redeunt.

Caput III.

De pronominibus.

Jn p ronominum usu haud multum abhorret Columella ab elegantium scriptorum loquendi consuetudine et pauca tantummodo hoc loco commemoranda sunt.

§ 7.

Variatur nonnunquam apud Columellam numerus primae personae, id quod interdum ipse Cicero admittit. [1]) 1 praef. 28 non me praeterit, si, quem desideramus agricolam quemque describimus, exegero. I, 7, 3 ipse nostra memoria audivi. III, 3, 13 nostra cura in tantum iam processit, ut — a me mercentur. XI, 1, 2 tibi expetenti versificationis nostrae gustum negare non sustinebam.

§ 8.

Pronomina „suus“ et „quisque“, ita coniunguntur, ut in unam quasi notionem confusa videantur: III, 1, 2 silvestres ac ferae (arbores) sui cuiusque ingenii poma vel semina gerunt. XI, 3, 1 opera, quae suis quibusque temporibus anni villicum exsequi oporteret. XII, 44, 5 (praecipiebat, pediculos earum) in praedictis patinis separatim sui cuiusqe generis ita componi, ne etc. XII, 52, 5 dolia, quae seorsum recipiant sui cuiusque generis amurcam. XI, 3, 26 genera, quae suo quoque (al. quidque) tempore seri oportet.

---

1) Cfr. Draeger, Syntax u. Stil des Tacitus IIIte Aufl. p. 6.

§ 9.

Sermoni vulgari assignanda est coniunctio „suus sibi", quam Draeger [1]) nisi apud poëtas comicos eosque, qui post Augustum floruere, non inveniri docet. Apud Columellam hisce exstat locis: XII, 7, 2 ut suo sibi iure ablui possint. XII, 42, 2 in suo sibi iure decoquuntur. XII, 56, 2 singula suo sibi jure eluito. XIII, 11, 2 uvas suo sibi pampino tegito.

§ 10.

Uterque saepius de duobus pluraliter dicitur: I, 6, 10 nam ea coeli positio maxime frigida et minime humida est; quae utraque perennitatem conditis frumentis afferunt. cf. I, 7, 5.

§ 11.

Pronomen „ipse" apud Ciceronem rarissime, apud Caesarem et Sallustium omnino non coniungi cum particula „et" Draeger testis est;[2]) saepisse tamen haec coniunctio („et ipse") apud Columellam invenitur. 1 praef. 12 nunc et ipsi praedia nostra colere dedignamur. 10 praef. 3 partes, quas tamen et ipse Vergilius significaverat. [3])

§ 12.

Pronomina relativa, quae sunt „qualiscunque" et „quantuscunque," nonnullis locis pronominum indefinitorum loco usurpat Columella, quem usum ne Cicero quidem plane aspernatus est.[4]) XI, 3, 36 (atrum olus) qualicunque convalescit loco. cf. I, 9, 3; XII, 49, 8; XIII, 2, 2; XIII, 7, 6. — VI, 17, 8 huius quantocunque ponderi decima pars salis ammoniaci adicitur.

Caput IV.

De particularum usu.

1. De adverbiis.

§ 13.

Jn adhibendis nonnullis adverbiis Columella discrepat ab antiquorum scriptorum usu. „Abunde" a Columella saepe cum verbo „esse" coniungitur ita, ut

---

1) Cfr. Draeger H. S. I pg. 76 f.

2) Draeger H. S. I pg. 81.

3) Ex multis locis hos affero: I, 1, 8; I, 7, 3; I, 7, 7; VII, 6, 3; VIII, 3, 3; VIII, 5, 9; 9 praef. 1. IX, 10, 1; VIII, 9, 4; XII, 33, 1; XII, 39, 1; XIII, 28, 2.

4) Cfr. Krebs-Schmalz Antibarbarus II p. 397 s v. qualiscunque.

idem significare videatur atque „satis“: II, 3, 2 hactenus de officio bubulci dixisse abunde est. V, 12, 5 hactenus de arboribus praecepisse abunde est. IV, 19, 1; V, 3, 9; V, 9, 18; VI, 26, 4; XII, 55, 1.

Adverbium „admodum“ eo usu, qui ad sermonem vulgarem revocandus est, Columella coniunxit cum vocabulo „nimius“ IV, 21, 2 nisi si admodum nimia ubertas plures postulabit.

„Adeo non — ut“ pro „tantum abest, ut — ut“ apud Columellam occurrit: II, 11, 5 quod etiamsi non fieret, supervacuus tamen esset cultus, cum sola haec res adeo non infestetur herbis, ut ipsa herbas perimat. VI, 37, 3; X praef. 5.

„Deinceps pro deinde scriptum est: II, 9, 10 illud deinceps praecipiendum habeo, ut — consulamus. cf. II, 10, 26; I, 8, 6; II, 10, 11; III, 16, 1; IV, 3, 5; V, 9, 18; VIII, 11, 12; IX, 9, 1; XII praef. 5.

Similiter adverbium „mox“ Columella, aequalium exemplum secutus, saepissime pro „deinde“ adhibet: VI, 27, 12 paulatim deinde producendus erit — mox, cum firmior fuerit, in pascua dimittendus. VI, 32, 1; VI, 38, 1; VII, 5, 22; VIII, 1, 6; XI, 3, 9; XI, 3, 56; XII, 35; XII, 45, 5. al.

„Demum“ nonnulli argenteae latinitatis scriptores pro „tantum“ adhibent.[1]) Ita Collumella dicit: I, 1, 1 is demum cultissimum rus habebit.

„Quippe“ saepe eodem sensu usurpatur atque „enim“: 1 praef. 26 quippe aliud exigit equinum armentum. I, 1, 14; I. 5, 9; IX, 1. 5; XI. 1, 8. al.

„Ita“ duobus locis pro „tam“ cum adverbiis connectitur: V, 6, 28 ita longe. VIII, 14, 8 ita pertinaciter.

„Tanquam“ Columella primus[2]) ita adhibuit, ut idem significet quod „exempli causa“ vel „ut“, „quasi“, „velut“: I, 6, 9 ut custodiam recipiant humidarum rerum tanquam vini aut olei venalium. III, 11, 5; V, 2, 1; V, 2, 6.

§ 14.

Adverbia nonnulla ita usurpantur, ut pro adiectivis posita esse videantur: I, 9, 2 quamvis necessaria, non tamen satis est indoles. II, 10, 20 iugero modii tres abunde sunt, XII, 46, 1 abunde sunt ea, quae etc. cf. II, 2, 21; III, 16, 3; V, 5, 2; VIII, 17, 3. V, 6, 28 si ita longe tabulatum est.

Interdum voces adverbiales pro adiectivo attributivo ponuntur: I, 1, 6 Poeni ex Africa scriptores; II, 4, 11 effeta et sine succo humus peruritur.

---

1) Cfr. Krebs-Schmalz Antibarb. I pg. 378 s. v. demum.

2) Cfr. Krebs-Schmalz Antibarb. II pg. 385 s. v. tanquam.

III, 15, 1 haec in quincuncem vinearum metatio expeditissima ratione conficitur. VIII, 17, 8 tum etiam sine macula lupos includemus. VII, 3, 21 ulmeis vel ex fraxino frondibus.

2. De coniunctionibus.

§ 15.

Infinitus est numerus eorum locorum, ubi „et" vice fungitur particulae „etiam": I, 1, 6 magna et Graecorum turba est. VIII, 16, 9 ut litorum sic et fretorum. — Sub oculos autem ea potissimum scribendi ratio cadit, qua enuntiata singula per „et" coniunguntur praemisso tamen verbo, veluti: VI, 6, 5 sunt et illa remedia. VI, 37, 1 est et alterum genus . cf. XI, 3, 26; XIII, 2, 1; II, 9. 7; IX, 13, 13; XII, 6, 2.

Particulas „sed et" Columella saepe usurpat pro „sed etiam" praeeunte „non modo", „non solum", „non tantum": I, 3. 2 non modo perceptionem fructuum, sed et vitam colonorum esse dubiam. 1, praef. 5; 1 praef. 12; I, 3, 8; I, 9, 4; II, 14, 8; VI. 17, 9; VII, 12, 2; XII, 52, 13.

Porro „sed et" positum est in initio capitis vel sententiae ad continuandam orationem: VIII, 5, 19 sed et curandum erit, ut tepide habeantur. I, 9, 5; III, 3, 2; III, 9, 1; III, 20, 1; IX, 13, 10; IX, 14, 4; XI, 2, 10; XI, 2, 85; XII, 52, 7.

„Et" insolenti usu ad tertium membrum duobus sine particula praecedentibus adiungendum adhibetur: IX, 8, 1 haec de pabulationibus, domiciliis et sedibus eligendis abunde diximus. I, 6, 1 consaeptum dividatur in tres partes, urbanam, rusticam et fructuariam. VIII, 2. 11: IX, 15, 1; XI, 2, 49; XIII, 4, 1; XIII, 22, 1; VI, 29, 3.

Particula „neque" („nec") Columella crebro ita usus est, ut legibus optimorum scriptorum repugnet. „Nec" eadem significatione qua „ne — quidem" usurpatum habes his fere locis: I, 8, 12 nec ipse mittat. II, 11, 3; III, 21, 7; IV, 29, 15; VI, 6, 4; VII, 7, 2; VIII, 11, 16; XI, 2, 98. „Nec" positum est pro „et non": II, 10, 34 loco macro nec humido. V, 7, 1 arborem humilem nec frondosam. V, 9, 7 solo macro nec idoneo segetibus. VII, 8, 5 clauso neque ventis obnoxio loco. — Insolenti modo „nec" usurpatum videtur esse pro non (quidem) 1 praef. 10 nam nec gratuita servitute, sed donis rependitur honos. IV, 9, 2 sed nec ad eam partem, qua est gemma, verum ad posteriorem declinatur. XII, 56, 2 quae neque spisse, solide tamen et crassis viminibus contexta sunt.

VIII, 1, 1 hic (liber) — sequentis numeri titulum possidebit, nec quia proximam — curam desiderent ea, quae dicturi sumus, sed quia — debeant administrari. — „Nec quidem“ occurrit pro „ne — quidem“:[1]) VII, 8, 4 rustici nec patiuntur quidem. 12 praef. 8 itaque nec villici quidem aut villicae magna erat opera. — Quod attinet ad formas „nec“ et „neque“ ante vocalem Columella „nec“ non minus crebro vel saepius posuit quam „neque“; unum affero exemplum: IX, 2, 1 neque diligentius quicquam praecipi potest quam ab Hygino iam dictum est, nec ornatius quam Vergilio nec elegantius quam Celso.

Coniunctionibus „ideoque“, „et ideo“ scriptores argenteae latinitatis uti Handius [2]) docet. Quod apud Columellam quoque frequentissimum est: „ideoque“ I, 1, 17; II, 9, 12; III, 2, 9; IV, 10, 2; VI, 2, 14; IX, 14, 9; XI, 3, 37 (al); „et ideo“ I, 3, 5; II, 2, 17; III, 2, 15; IV, 1, 6; VII, 6, 3; VIII, 8, 8; XI, 3, 33. (al.).

Vocula „sed“ praecedente „non solum“ nonnullis locis legitur pro „sed etiam“: IV, 20. 1 id non solum ad speciem plurimum refert, sed ad ubertatem. II, 2, 15; V, 6, 20; VI, 37, 3; XI, 1, 6; 12 praef. 10; III, 21, 2.

Caput V.

De usu temporum et modorum.

1. De temporibus.

§ 16.

Columella, ubi praecipit, quomodo agri colendi atque fruges serendae sint, in sententiis condicionalibus, quae plerumque adhibentur, fere semper ponit futurum exactum (in enuntiato secundario) et futurum primum (in sententia primaria) vel etiam praesens coniunctivi iussivi aut indicativi talis verbi, in quo futuri temporis significatio inest (debet, oportet, gerundivum, imperativum); rarius bina futura simplicia usurpat.

Praecipue vero Columellae familiare est, futurum exactum in enuntiato secundario (cum particulis „ubi“, „si“, „cum“) ponere, si illud exprimitur verbo habendi coniuncto cum participio perfecti passivi; sequi autem solet in enuntiato primario futurum simplex vel imperativus. [3]) V, 6, 1 id consequi poterit, si —

---

[1]) Siquidem salva scriptura est.

[2]) Hand, Tursellinus III pag. 181 sq.

[3]) Apud Ciceronem etiam in enuntiato secundario futurum simplex exstat: epist. XV, 20, 3 ego tantum me scire putabo, quantum habebo cognitum. Cfr. Archiv f. l. L. u. G. II pg. 538 sq.

paratum habuerit. V, 10, 16 si iam arborem satam habueris — serito. XI, 2, 70 hoc igitur, cum exploratum habuerit villicus, sciet. V, 11, 5 = XIII, 26, 4; XI, 3, 41; XI, 49, 2; XIII, 17, 4; XIII, 23, 2.

§ 17.

Plusquamperfecto Columella nonnunquam usus est, ubi exspectamus perfectum: 1 praef. 20 in hoc Latio, — ubi dii cultus agrorum progeniem suam docuerant, ibi nunc ad hastam locamus. 1 praef. 30 cesserat — restinxerat. 1 praef. 13 fascibus depositis, quos festinantius victor reddiderat quam sumpserat imperator. VIII, 11, 6 quae proposueram. VIII, 17, 8 quare, ut proposueram, qualitatem contemplemur. IX, 16, 2 complacuerat. 10 praef. 3 significaverat. XI, 1, 31 disseruisse me non infitior in iis libris, quos composueram. XII, 48, 5 decoxerant. XII, 51, 1 adhaeserant.

§ 18.

In usu temporum compositorum passivi Columella formam „fueram" saepius adhibet eadem vi qua „eram": II, 2, 10 terra fuerat effossa. IV, 15, 1 malleoli, qui fuerant depositi. V, 5, 16 partes, quae fuerant obrutae. V, 5, 18; V, 10, 7; XII, 38, 2; XII, 46, 4; 10 praef. 3.

Participium futuri passivi coniungitur cum verbo habendi, qui mos est eorum scriptorum, qui post Augustum fuerunt. [1]) XII, 3, 7 illud custodiendum habebit.. II, 9, 10 illud praecipiendum habeo. cf. II, 14, 9; XII, 52, 13. V, 5, 3 eatenus praecipiendum habemus. I, 4. 2 quasi testificandum atque praedicandum habeo. XI, 1, 24 tam istud vitandum habebit, quam hercule fugiendum venandi studium. Uno loco pro gerundio utitur infinitivo: V, 8, 7 „haec in universum de toto genere arboris habui dicere", quo loco imitatus videtur esse Ciceronem de nat. deor. 3, 93: „haec fere dicere habui de natura deorum."

Mirifice amat Columella coniunctionem participii perfecti passivi cum verbo habendi eamque in multo frequentiorem usum recepit quam Cicero, qui hac circumlocutione fere in verbis cognoscendi et statuendi utitur. [2]) Verba autem, quae ita usurpantur, haec sunt: ablaqueatum habere XI, 2, 70; XIII, 5, 3; XIII, 10, 4. appositum h. IX, 12, 4; XII, 19, 4; XII, 52, 5. clausum h. IX, 9, 1. collocatum h. IX, 12, 4. cognitum h. 1 praef. 25; XI, 3, 41; XIII, 13. compertum h. III, 10,

---

[1]) Primum haec coniunctio invenitur apud Varronem r. r. I, 16, 2: multi — habent in praediis importandum. cfr. Archiv II. p. 380.

[2]) Cfr. Ph. Thielmann: Habere mit dem Part. Perf. Pass. im Archiv f. L. u. G. II 372 sqq. et 509 sqq.

18. compositum h. V, 6, 7. consitum h. XI, 3, 50. cultum vestitumque h. XI, 1, 21. defricatum h. XI, 2, 70; XIII, 11, 2. dispositum h. XIII, 30, 1; XI, 3, 41. emundatum h. XI, 2, 70; XIII, 11, 2; exploratum h. 1 praef. 22; III, 1, 5; III, 3, 1; XI, 2, 70; XII, 21, 6. expositum h. XIII, 17, 4. lotum h. XI, 2, 70. paratum h. V, 11, 5; V, 6, 1; XIII, 24, 4. patefactum h. IX, 15, 5. pampinatum h. XIII, 11, 2. purgatum et destrictum h. XII, 49, 2. perfectum h. IX, 9, 1; XIII, 8, 4. perpensum h. 1 praef. 29; III, 3, 1. perfossum et cultum h. XI, 2, 29. occatum h. XI, 2, 85. picatum h. XI, 2, 70, positum h. XIII, 13. praeparatum h. XI, 2, 70; XII, 52, 5. praepositum h. XII, 19, 4. probatum h. I, 3, 5. satum h. V, 10, 16; XIII, 23, 2. siccatum h. XI, 2, 70; XIII, 11, 2. subiectum h. VIII, 14, 6. In universum adnotandum est, Columellam valde amare verbum habendi; ita saepius dicit: certum habere, velut 1 praef. 2; II, 10, 7; II, 21, 5; III, 7, 1. persuasum habere I, 1, 4; IV, 2, 3; XI, 1, 32; XII, 1, 5; atque uno loco (IX, 1, 5) vel audet dicere „opus habere," quae locutio sine dubio plebei sermonis est propria.

§ 19.

Postremo illud annotandum putavi, Columellam, quod attinet ad consecutionem temporum, optimorum scriptorum consuetudinem secutum esse.

2. De modis.

§ 20.

Modestia quadam adductus Columella suam sententiam de aliqua re persaepe profert coniunctivo praesentis vel perfecti: putem VIII, 16, 1. affirmare non ausim XI, 2, 82. affirmaverim III, 20, 6. concesserim IV, 29, 1. dixerim 9 praef. 1. crediderim 1 praef. 23; XII, 52, 16. permiserim IV, 29, 5; IX, 2, 2.

Praeter coniunctivum potentialem perfecti activi singulari numero positum, qui ab omnibus scriptoribus saepius admittitur, apud Columellam etiam coniunctivus potentialis perfecti activi plurali numero positus nonnullis locis invenitur, qui usus apud omnes fere scriptores rarissime occurrit.[1]) II, 2, 3 quas nos discordantium comparationes tolerabiliter dixerimus. cf. III, 1, 2; XIII, 1, 2. II, 2, 8 sed nunc potius uberioris soli meminerimus. cf. IV, 4, 2; VII, 4, 4; XII, 20, 1. — VII, 3, 3 capros et arietes optaverimus vel amplissimis cornibus.

§ 21.

In enuntiatis relativis, quae pertinent ad orationem obliquam aut interrogationem indirectam, Columella interdum insolita ratione indicativum adhibuit

[1]) Cfr. J. H. Schmalz im Archiv f. l. L. u. G. I p. 347 sq.

pro coniunctivo: I, 2, 2 illud vetus est Catonis agrum pessime multari, cuius dominus, quid in eo faciendum sit, non docet, sed audit villicum. IX, 2, 3 nec sane rustico dignum est sciscitari, fueritne mulier, — quam Juppiter in apem convertit, an crabronibus et sole genitas apes, quas nymphae Phryxonides educaverunt, Jovis exstitisse nutrices. IX, 13, 9 etiam putat earum apium, quae ex alio domicilio transferuntur, reges submoveri debere.

Perraro verba quaedam omissa particula „ut“ cum nudo coniunctivo connectuntur: II, 10, 28 deseces licet. VI, 2, 4 patere desaeviant. XIII, 7, 2 fac abradas. VIII, 2, 6 consideret oportet (saepius).

Caput VI.

De syntaxi congruentiae.

§ 22.

Congruentia numeri. Complura subiecta apud Columellam, sicut apud optimos scriptores singularis numerus praedicati sequitur: II, 4, 9 si tepor caeli siccitasque regionis suadebit. II, 10, 17 proventus et pretium proritat. VII, 7, 1 cornus et caprinus et ornus, nonnunquam et salix disponitur. VI, 14, 1 inde tussis et macies et ad ultimum phthisis evadit.

Contra pluralis numerus nonnunquam ponitur, ubi duo substantiva per particulas „aut“, „vel“ disiuncta sunt: VIII, 3, 6 ne feles habeant aut coluber accessum. V, 8, 7 ubi arbutus aut ilex steterant. XIII, 16, 2 ut, si ulmus defecerit, opulus vel fraxinus locum obtineant.

Constructio illa, qua nomini collectivo pluralis numerus verbi subicitur, apud Columellam satis raro invenitur. VI, 17, 7 facit et radix, quam Graeci *σίλφιον* vocant, vulgus autem nostra consuetudine laserpitium appellant. IX, 15, 7 suum quaeque plebs morem servant. III, 2, 23 utraque vitis — afferunt. XII, 2, 5 cum armatus inermem, eques peditem, plaustrum equitem, si sint permixti, confundant. VII, 9, 7 Codex Sangermanensis exhibet: „arundinis, quam vulgus canam vocant.“ [1])

---

[1]) Cfr. L. Kühnast, Die Hauptpunkte der Livianischen Syntax 1872. pg. 61.

Caput VII.

De casibus.

1. De usu genetivi.

§ 23.

Genetivus possessivus, qui, cum ei nomen non sit appositum, offensionem habeat, invenitur: XI, 3, 53 apud Aegyptiae gentis Bolum Mendesium legimus.

Genetivus appositivus, qui vocatur, exstat: VIII, 17, 6 scopulos, qui praecipue herbis algae vestiuntur. V, 11, 14 arborem fici. XI, 2, 59 arbores ficorum. XI, 3, 42 olus atriplicis. VIII, 16, 9 in nostro Gadium municipio.

In genetivi qualitatis usu Columella non recedit ab eleganti latinitate. Hoc fortasse exemplum dignum est, quod proponatur: III, 8, 3 Liguriae nonnunquam taurus eminentis staturae conspicitur.

„Boni consulere“, quae locutio argenteae latinitatis propria est, eadem significatione dicitur, qua apud veteres scriptores „accipere in bonam partem:“ 10 praef. 5 quod elucubravimus, adeo propriam sibi laudem non vindicat, ut boni consulat, si non sit dedecori prius editis a me scriptorum monumentis.

§ 24.

Adiectiva neutrius generius apud optimos scriptores raro cum genetivo coniungi constat. [1]) Apud Columellan hoc saepius invenitur. V, 10, 15, exiguum laseris. cf. VI, 2, 4; VII, 3, 17; VI, 17, 5; VII, 8, 2; VIII, 11, 2; XII, 8, 2; XII, 16, 1; XII, 49, 5. reliquum olei XII, 54, 2. propter insigne candoris VIII, 2, 7. ex vicino Africae VII, 2, 4. in profundo terrae III, 1, 8. per summum terrae III, 11, 3. excreta tritici VIII, 4, 1; VIII, 8, 6. elatiora — depressiora clivi II, 4, 10. optima pabulorum II, 7, 1. summa trunci IV, 24, 6.

Cum adiectivis nonnullis Columella genetivum connectit, ubi aureae latinitatis scriptores alium casum vel praepositiones adhibent. Callidus rerum rusticarum II, 2, 1; rerum naturae VII, 3, 12. (Hor. Tac.) Consanguinea (res rustica) sapientiae est 1 praef. 4. [2]) Edaces multi cibi boves VI, 2, 14. (Ov.) Fecunda regio palmae XI, 2, 90; IX, 4, 2. (Cato, Hor. Plin. Tac.) Ferax

---

[1]) Cfr. Kühner, Lat. Gram. II pg. 317.

[2]) Dubium est, num „sapientiae“ genetivus sit, praesertim cum Columella scripserit l. l.: „res rustica proxima et quasi consanguinea sapientiae est“. At certo genetivus legitur apud Vergilium Aen. VI, 278 consanguineus leti sopor.“

ferulae et corticis XI, 2, 90; III, 2, 24; VI, 36, 3; IX, 1, 5; IX, 6, 1. (Hor. Liv, Plin. Tac.). Gnarus armorum 1 praef. 24. Immodicus libidinis VII, 6, 3, (Sall. Vell. Pat. II, 11, 1 : gloriae. Tac.). Inimicam professionis suae disciplinam 6 praef. 1; at VII, 6, 6 legitur: quae cuncta sunt capris inimica. Perosa (apis) immundae segnitiae est IX, 5, 2. Probatissimi operum artifices XI, 1, 6. Prudentem universae naturae virum II, 2, 15. prudentiores rerum rusticarum IV, 2, 1. (Nep. Liv.). Sagacissimus rerum naturae 1 praef. 22. Saturior lactis agnus VII, 4, 3. (Terent. Lucr. Hor.). At VI, 23, 2 invenitur: saturae (vaccae) pabulo. Surdis veritatis III, 10, 18. (Ov. Sil.). Tenax sui iuris I, 7, 2; tenax silex humoris III, 11, 8 (Verg. Hor. Vell. Seneca. Quint. Plin.).

§. 25.

Paticipia praesentis haec fere cum genetivo coniunguntur: Abstinentissimus somni et vini XI, 1, 13 (Hor.). Sed XII, 4, 3 legitur: abstinentissimus rebus venereis. Abundantes lactis vaccae VI, 24, 5 (Verg. Nep.). At VI, 27, 2 scriptum est: pascua proceris herbis abundantia. Amantissimas munditiarum apes IX, 14, 15; cf. VII, 21, 1. Impatiens iniuriae (vitis) IV, 3, 4; famis VII, 11, 3; frigoris VII, 3, 8; vetustatis III, 21, 6. (Verg. Ov. Liv. al.). Indignantissimum servitutis genus VIII, 17, 7. (Solus hoc habet Columella). Patiens laboris et famis VII, 1, 2; III, 20, 1; III, 2, 15; VI, 22, 1; VI, 36, 2; VI, 37, 9; VII, 4, 1; XII, 18, 6. (Verg. Liv. XXI, 31, 10 al.). VI, 29, 4 legitur: „hi et ad obsequia reperiuntur habiles et ad certaminum labores patientissimi.“ Sine dubio Columella ita scripsit concinnitatis causa. Tolerantior frigoris VI, 22, 2; plagarum et penuriae tolerantissimus VII, 1, 2; VIII, 16, 2. (Tac. Symm.) Verentes plagarum et acclamationum VI, 2, 14 (Auson.).

§ 26.

Admodum raro apud Columellam genetivi alius ex alio suspensi sunt, velut XII, 17, 1 hoc primae notae acerrimi aceti uvam praebet. Nonnullis locis Columella hoc de industria videtur evitare, ut 1 praef. 24 contemplatio cunctarum in ea disciplina partium.

2. De usu dativi.

§ 27.

Primum illud monemus verbis, quibus optimi scriptores praepositiones addere solent, apud Columellam cum solo dativo coniungi: Adhibere: XI, 1, 19 fortissimum quemque mensae suae adhibeat. XII, 49, 5 condituras, quae lautioribus mensis adhibentur. (cf. Liv. XXIII, 8, 5 convivio adhibiturus erat.) Adia-

cere: 1 praef, 10 foribus ingratis adiacere. XII, 1, 2. (Ov. Liv.). Advolare: IX, 5, 1 ut apes facilius editioribus advolent.[1]) Cohaerere: V, 11, 15 cacumina olivae sicuti matri cohaerent. (Poëtae et posteriores). Conferre: I, 8, 19 multum confert augendo patrimonio;[2]) I, 9, 1; II, 2, 23. Consuescere: VI, 2, 9 aratro iuvencum consuescimus. cf. I, 8, 2; XIII, 1, 5. (Quinctilianus habet „ad".). Jungere: VIII, 3, 1 iuncta sint gallinaria furno vel culinae; VIII, 3, 6; I, 6, 19.[3]) Inesse semper cum dativo coniungitur: II, 2, 18 quae res admonet nos, inesse tali materiae naturalem succum; II, 9, 15; II, 18, 3; III, 10, 21; XII, 47, 2. Inferre: II, 20, 6 granario inferre frumenta. At XII, 1, 6 legitur: quae domum inferuntur. (Elegantes scriptores praepos. „in" adhibent). Inniti: I, 9, 3 arator stivae paene rectus innititur. (Poët. et post.). Infundere: VI, 30, 9 myrrhae tritae quadrantem faucibus infundant; VI, 30, 10; VI, 31, 1. (Cicero scribit infundere „in" aliquid).[4]) Inserere: VII, 5, 18 nepetae naribus inseruntur. Insidere: II, 2, 22 iugum cervicibus insidat. (Poët. et post.). Miscere: I, 6, 13 pavimenta testacea mixta calci et arenae. (Livius saepe ita locutus est).[5]) Aliis locis Columella praepositiones adhibet: „cum" VI, 30, 7; „in" VI, 31, 1; „ad" VII, 5, 7. Permiscere: II, 1, 6 folia inferiori solo permixta. (Hor. Liv.). Subrepere: IX, 1, 9 animalia clatris subrepunt. (Cicero utitur praepos. „sub", Horatius accusativo). Superfundere: IV, 8, 3 aliquid fimi radicibus superfundes. (Plin. maj. et min.).

§ 28.

Ex adiectivis, quae Columella cum dativo coniunxit, haec commemoranda esse arbitror. Adiectivum „similis" paene semper dativus sequitur; genetivus his tantum locis invenitur: IV, 20, 2 truncus similem sui medullam gerit. IV, 22, 9 horum similibus incommodis. IV, 26, 1 eorumque similia. VI, 37, 7 dissimiles sui mulas. 1 praef. 10 quae et ipsa et eorum similia fugienda sunt. 1 praef. 7 quo magis prodigii simile est. Genetivum ergo Columella praesertim usurpat, ubi similis cum pronominibus connectitur; dativus vero circiter triginta locis occurrit, e. g. VII, 9, 1 patri similior est progenies quam matri; II, 10, 19; IV, 4, 1; IX, 1, 9; XII, 52, 3. al. Alienus cum dativo invenitur XI, 2, 20 satis aliena huic tempori. — Aversa soli vallis IV, 22, 8. (Dativum Tacitus quoque exhibet Ann. 1, 66. Apud

---

1) Hoc vocabulum apud optimos scriptores cum praepos: „ad" vel „in" coniungi Antibarbarus I pg. 101 docet.

2) Alii praepositionem „ad" exhibent. e. g. Quinct. I, 8, 7.

3) Sic iam Cicero locutus est: De Div. II, 43, 91; De Nat. Deor. II, 45, 117.

4) Cfr. Antibarbarus I pg. 677.

5) Cfr. Lagergren: De vita et elocutione C. Plinii Caecilii Secundi (1871). pg. 150.

Ciceronem semper sequitur „ab“, semel tantum „de“: Verr. IV, 24, 25.) Ipse Columella praepositione „ab“ usus est: XI, 1, 14 aversus sit a venereis amoribus. cf. XII, 1, 2; XII, 50, 13. Discolor pars lanae VII, 3, 2.[1]) Concolor lanae VII, 3, 1. Habilis omnibus his rebus 12 praef. 5; II, 4, 5; IV, 33, 1. (Hor. Verg. Liv.). Inhabiles labori boves VI, 1, 1; II, 1, 2; 12 praef. 5. (Tac. Quinct.). „Proximus“ cum dativo coniungitur VII, 5, 19 quae (pars) proxima est clunibus. VIII, 17, 13 cibi sorbilibus proximi; at aliis locis Columella dicit: „proximus ab,“ velut III, 20, 3 deinde quod proximum a primo (est), efficiamus. VIII, 2, 7; XIII, 5, 2. Adverbium quoque („proxime“) sic componitur: I, 6, 8 omnes quam proxime alter ab altero debent habitare.

§ 29.

Dativus pro genetivo videtur esse positus apud quaedam substantiva; I, 1, 20 rura velut heredibus patrimonio suo cedunt servis suis. IX, 7, 6 qui (lacertus) velut custos vestibulo prodeuntibus inhians apibus affert exitium. I, 3, 10 quae plebi tribunus—diviserat. (Sed lectio est incerta).

§ 30.

Dativum auctoris sive graecum, quem vocant, Columella non modo temporibus compositis, sed nonnunquam etiam simplicibus subiungit, qui usus ne apud Ciceronem quidem deest; apud eum vero simplices verbi formae multo rariores sunt. [2]) II, 13, 4 cum priscis auctoribus quamvis non omissa res, levi tamen admodum cura sit prodita. II, 21, 5 mos priscis usurpata. IV, 29, 7 insitio paucis usurpata. XI, 1, 29 vulgare illud de arborum positione rusticis usurpatum. IX, 14, 12 vetus agricolis concepta opinio. 10 praef. 1 cultus hortorum — neglectus veteribus agricolis. VIII, 8. 8 color non semper nec omnibus idem probatus est. XI, 3, 7 ratio antiquis probata. III, 2, 5 talis vitis nobis eligatur. IV, 1, 5 bipedanei scrobes vix etiam provincialibus agricolis approbari possunt. VII, 9, 2 Scrofae probantur (mares) longissimi status. VIII, 4, 1 (furfures) non appetuntur jejunis (avibus). XI, 3, 39 cunila et serpyllum magis alvearia curantibus quam olitoribus conseruntur.

§ 31.

Dativus finalis [3]) qui vocatur, appositus est verbo esse: cui magis cordi fuerit urbanum domicilium I, 1, 18; VI, 27, 1; X, 381. curae esse debebit custodi VIII, 5, 3; VI, 35, 2; XII, 12, 3. si non sit dedecori — monumentis 10 praef. 5. viridis saturneia esui est iucunda XI, 3, 57. aquarum penuria graminibus est

---

1) Cfr. Ovid. Trist, 5, 5, 7 fatis discolor.
2) Cfr. H. Tillmann: „De dativo graeco“ in Act. Sem. Erlang. II. pag. 82.
3) Cfr. de hoc dativo: Fr. Nielaender, der factitive Dativ bei röm. Dichtern u. Prosaikern. Schneidemühl 1877.

exitio II, 16, 5; IX, 14, 8. 12 praef. 9 ut domi confectae vestes fastidio sint. Fuisse gloriae curam rusticationis 1 praef. 13. est etiam remedio serpyllum VI, 4, 3 (saepissime). alter sit subsidio IV, 6, 1. ut mala usui non sint XII, 47, 3. ordacea pecori praesidio XI, 2, 71; VI, 3, 3.

Dativus finalis ex aliis verbis dependet: X, 24 amnes auxilio attrahat hortis. II, 21, 4 olivas conditui legere licet. 12 praef. 5 natura hunc sexum custodiae et diligentiae assignaverat. VIII, 15, 7 si modo captas aves custodiae tradere velis. VIII, 9, 1 volatura ita, ut capitur, farturae destinatur. cf. VIII, 14, 10. — 1 praef. 3 rem rusticam pessimo cuique servorum noxiae dedimus. VIII, 5, 21 uva potui data. XIII, 5, 1 alteram materiam subsidio habeas. VI, 23, 2 pastorali signo quasi receptui canitur. II, 20, 6 frumenta usui destinantur. (X, 109, excitet ut Veneri tardos eruca maritos).

5. De usu accusativi.

§ 32.

Accusativum minus usitate recipiunt verba, quae apud priores intransitiva sunt vel cum praepositionibus coniuncta: Planta exhorreat aestus X, 154. Granaria scalis adeantur I, 6, 10 (Poët. Liv.). Eniti de loco usurpatum cum nudo accusativo coniungitur: II, 2, 27 ut totum spatium bos agilius enitatur. — Apis evadit vestibulum IX, 12, 1 (Verg. Ov. Liv. post.). — Canes appropinquantem violentius invadunt VII, 12, 7. (Cicero huic verbo dativum solet apponere; sed accusativus etiam apud Sall. et Liv. exstat).

Fastidire apud Ciceronem (Mil. 16, 42) verbum neutrum est; accusativum attrahit apud Columellam IX, 12, 1 (et apud Varronem, Horatium, non apud Plautum): patriam fastidiens sedem. Si recens mare non semper stagnum permeat VIII, 17, 5. (Ov. Plin.). Ut multi sedes suas profugerint I, 3, 6 (Suet.).[1] Spectent hiemalis temporis cubicula brumalem orientem I, 6, 1; I, 6, 2; V, 9, 3; V, 11, 3. At V, 10, 13 occurrit „spectare ad“, quod a Cicerone et Caesare usurpatur, cum etiam Sallustius, Livius et posteriores nudum accusativum adhibeant. — Caper matrem stupro supervenit VII, 6, 3. ut quis eam supervenit humor II, 16, 5. (Ita poëtae et Plinius maior locuti sunt). — Animos degenerat (venus) VII, 12, 11.[2] Viam recte graditur VI, 37, 11.

---

[1] Caesar huic verbo praepositionem „ex“ adiungit.

[2] Admodum raro huic verbo accusativum addi Krebs-Schmalz (Antibarb. I pg. 370) docet.

§ 33.

Adiectivis, quae sunt „altus“, „latus“, „longus“ ad significandam mensuram Columella non solum accusativum, sed etiam genetivum et ablativum subiungit: III, 18. 8 campestris locus alte duos pedes et semissem infodiendus est. V, 6, 18 scrobis fieri debet latus pedum duorum, altus levi terra totidem pedum, gravi dupondio et dodrante, longus pedum sex. II, 10, 26 areas latas pedum denum, longas pedum quinquagenum facito. V, 9, 3, oportebit ita totas eas immergeri, ut putris terra digitis quattuor alte superveniat. — Praetera haec adiectiva praepositio „in“ cum accusativo coniuncta sequitur: XIII, 16, 3 sulcum in quattuor pedes longum, in tres altum, in dupondium et semissem cum feceris. — Similiter dicitur V, 6, 19 vites pedem inter se distantes. V, 6, 25 torus, qui est a terra quattuor pedibus distans.

§ 34.

Accusativi adverbialis, qui vocatur, haec propono exempla: III. 21, 4 haec quamvis plurimum delectent. cf. V, 6, 33. — VIII, 2, 13 non multum moribus distant. III, 20, 3 quattuor vel summum quinque. V, 9, 10 ut exiguum admodum supra scrobem emineat. — Inprimis vero „nihil“ ita usurpatur: III, 9, 4 nihil dubium est; I, 7, 5; III, 10, 21; V, 5, 6; VI, 18, 2; XII, 2, 6. nihil dubito II, 13, 1; III, 20, 4.

Accusativus loco appositionis toti alicui sententiae additur: IV, 18, 1 quae distinctio — oculos et vestigia domini, res agro saluberrimas, facilius admittit.[1])

Per anticipationem subiectum enuntiati inferioris ordinis tanquam obiectum in enuntiatum primarium translatum est: VI, 3, 3 eosque nemo dubitat, quin optimi sint.[2])

Postremo illud iuvat commemorare, accusativum Graecum Columellam non assumpsisse.

4. De usu ablativi.

§ 35.

Ablativus separationis contra consuetudinem veterum scriptorum, qui praepositiones „ex“, „ab“, „de“ adhibere solent, verbis nonnullis adiungitur: Abstinere aqua ciboque pullos VIII, 5, 15; VI, 30, 5; VI, 30, 7; VII, 10, 5; VIII, 5, 23; IX, 14, 3; XI, 2, 6; XI, 2, 96; „abstinere ab“, quod est usitatius,

---

1) cf. Vell. Pat. II, 69, 6; II, 130, 2. Sen. de brev. vit. V, 19, 2.

2) Hic usus iam a Caesare admissus B. G. 1, 39: „rem frumentariam, ut satis commode supportari posset, timere se dicebant.“ sermonis vulgaris proprius est. Landgraf zu Reisig N. 554.

duobus tantum locis invenitur: V, 9, 5 seminarium a putatione abstinere convenit; et VI, 26, 3. — Vites plane longinquis regionibus arcessitae III, 9. 3; alteram tamen constructionem exhibet: VI, 2, 13 cogimur ex longinquo boves arcessere. — Satis mirari non possum — Celsum sic et sententia et visu deerasse II, 2, 15. (Vell. II, 3, 4 deerrare recto. Quinct. I, 5, 46). — Dependere, quae vox post Augusti aetatem in solutam orationem immigravit [1]), cum ablativo coniunctum exstat: VII, 6, 2 collo verruculae dependent (at IV, 26, 4 materia e vinculo dependet). Similiter ne simplici quidem verbo pendendi praepositio adiungitur, id quod apud optimos scriptores plane inusitatum est. V, 6, 26 palmites, quibus fructus pependit. cf. XIII, 23, 2. — Purgamenta, quae corporibus edunt II, 14, 8. — Ova immatura genitalibus locis excidunt VIII, 11, 5. — Lupinus agro limoso exit II, 10, 13. cf. VIII, 17, 2. — Villicus servum compedibus non eximat I, 8, 16; (quod apud poëtas et inde a Livio etiam in prosa oratione invenitur). — Si modo liberis parentibus sit oriundus I, 3, 5 (fin.). (Liv. poëtae). Quanto magis imo mari venit unda VIII, 17, 3. (Hoc poëtarum more dicitur).

§ 36.

Ablativum loci, quem aureae latinitatis scriptores tantum nominibus urbium et certis quibusdam vocibus subiungere solebant, inde a Livio etiam in prosa oratione longius patere notum est. Qui usus a Columella quoque haud raro assumptus est, non solum ita, ut substantivo adiectivum additum sit, sed etiam ita, ut substantivum nudum ponatur: I, 2, 4 segetes siccis ac pinguibus campis — proveniunt. Ita persaepe dicitur: resoluta humo provenire II, 2, 4; rapum densa nascitur humo II, 10, 22. Dictaeo specu IX, 2, 3. Vocabulo, quod est regio, Columella paene nusquam praepositionem adicit: II. 10, 18 Syriae regionibus. III, 12, 6 ferventibus regionibus ut Aegypto et Numidia.[2]) Verbum condendi apud optimos scriptores nunquam cum nudo ablativo coniungitur; quod apud Columellam non est inusitatum, velut III, 2, 2 uvae vasis conduntur. cf. III, 2, 6; III, 5, 1; VIII, 8, 7 al. „Condere in amphoris“ invenitur XII, 50, 4; „condere in amphoras“ XII, 17, 1; XII, 15, 2. — Glans cisternis vel tabulatis recondenda est VII, 9, 8; XII, 53, 2; sed XII, 15, 5 legitur: ficos in vasis recondunt. Etiam ex verbis, quae sunt „ponere“ et „deponere“, nudus ablativus pendet: V, 5, 1 vitem scrobe — sulco ponere. V, 4, 2 sulco semina deponuntur.

---

[1]) Cfr P Bagge. De elocutione C. Suetonii Tranquilli pg. 17.

[2]) celeri loci sunt: I, 4, 9; I, 6, 15; II, 2, 9; II, 9, 17; II, 11, 3; VII, 3, 3; VII, 5, 7; VII, 9, 4; VIII, 8, 1; VIII, 17, 1; XI, 2, 20; XI, 2, 41; XI, 2, 56; XI, 2, 60; XI, 3, 23; XI, 3, 54.

III, 13, 2; XI, 3, 43. XII, 44, 3 reponere tabulato. — III, 1, 3 vitis tam felix campis quam collibus provenit. XIII, 4, 7 montibus clivisque difficulter vineae convalescunt. VI, 37, 11 mula montibus pascitur. IV, 31, 2 arundo pastinato seritur. XI, 3, 54 capparis novalibus nascitur. IX, 8, 10 examen est abditum specu. VIII, 15, 7 pulli clausi vivariis. VII, 4, 6 quorum odor non patitur stabulis — pestem consistere. VIII, 2, 2 avis cristam capite gerit.

§ 37.

Ablativus temporis, qui pro accusativo videtur positus esse ad significandum diuturnitatem, apud priscos et optimos scriptores rarissimus est; apud posteriores demum hic usus magis floret. Quamquam vix ullum argenteae latinitatis scriptorem adeo huic usui indulsisse puto, quam Columellam. Namque ablativus multc saepius usurpatur quam accusativus. [1])

Jam affero nonnulla exempla: II, 4, 5 arva toto anno desinunt tractari. II, 10, 15 cum quadriduo aut quinque diebus requieverit. II, 10, 25 medica decem annis durat. II, 11, 10 diebus quadraginta florent. XIII, 30, 2 rosa multis annis perennat. [2])

Praeterea ablativi temporis minus usitati haec commemoro exempla: VII, 5, 14 si defuit aqua, — vaporibus omni quadrupedi largius bibendi potestas danda est. II, 4, 6 siccitatibus censeo quod iam proscissum est iterare. II, 4, 6 valentissimam partem vineti frigoribus, macerrimam vere — deputari conveniet. cf. XI, 3, 52; XI, 3, 53. XIII, 21, 1 ficum frigoribus ne serito. His adiungo I, 6, 19 familia tantum feriis lavetur. VII, 3, 11 Parilibus.

Nonnullis locis Columella praepositionem „in“ apponit, ubi nudus ablativus temporis exspectatur: VI, 30, 5 in postero (die). VIII, 9, 3 in singulis diebus cf. IV, 16, 1. E contrario praepositio „in“ omittitur V, 9, 2 „bis anno“; VII, 4, 5 ter anno; cf. IX, 14, 4, id quod apud elegantes scriptores plane inusitatum est. [3])

---

[1]) Hac loquendi consuetudine egregie indicatur Columellae patria; certo enim scimus maiorem numerum elogiorum in sepulcris insculptorum, quae in Hispania reperta sunt, eundem hunc usum ostendere. Cfr. O. Rebling, Versuch einer Characteristik der röm Umgangssprache Kiel 1873. pg. 22.

[2]) Confer alios locos: 1 praef. 11; II, 10, 28; V, 6, 6; V, 8. 2; VI, 4, 1; VI, 6, 2; VI, 14, 1; VI, 14, 6; VI, 24, 2; VII, 5, 8; VII, 9, 6; VIII, 5, 10; VIII, 5, 15; VIII, 6, 1; VIII, 8, 2; VIII, 11, 11; IX, 1, 8; IX, 11, 1; IX, 15, 13; XI, 3, 2; XI, 3, 36; XI, 3, 41; XII, 7, 2; XII, 12, 2; XII, 12, 4, XII, 15, 1; XII, 21, 2; XII, 24, 2; XII, 26; XII, 55, 3; XIII, 23, 2; XIII, 28, 4 al.

[3]) Cfr. Kühner, Lat. Gramm. II pg. 265.

Caput VIII.

De praepositionibus.

§ 38.

Praepositiones, quae accusativum recipiunt.

Praepositione „ad" Columella haud raro utitur pro „usque ad": VI, 4, 4 amurca datur ad satietatem. VI, 12, 3 unguis ad vivum resecatur. VIII, 5, 2 ordeum ad satietatem praebetur. cf VIII, 11, 1 5. — IX, 15, 4 ad occidionem gens interimenda est. XIII, 4, 5 sulcum cum stercorata terra ad medium comple to. — Mentione indigna ne haec quidem verba sunt: VI, 2, 6 ne ad eiusmodi tactum pavescant. (Sallustius ablativum (causae) adhibet). — VI, 13, 1 ad scabiem praesentior alia medicina est (i. e. ut extenuetur scabies). Similis brevitas Columellae placuit: XII, 33, 1 vinum ad veterem tussim et ad stomachum condire. — „Facere ad" poëtarum more dicitur pro eo, quod est „valere", „utile esse": IV, 26, 1 recte etiam faciunt ad eam rem silvestres pinus atque etiam sambuci. (Suet. Claud. 16. Plin. n. h. 22). IV, 13, 2 legitur „facere in". „Ante annum" pro „anno ante" reperitur: XIII, 16, 2 ante annum quam deponant arbores, scrobes faciant. XIII, 4, 3 optimum erit ante annum scrobes facere. cf. V, 5, 1; V, 5, 2. „Ante haec" pro antea, quod est argenteae aetatis proprium, invenitur IV, 29, 10. „Circa" de tempore usurpatum in prosa oratione inde a Livio exstat exemplo poëtarum. [1]) Apud Columellam persaepe ita ponitur: II, 4, 4 circa solstitium — circa Septembris Calendas. II, 4, 9; II, 10, 29; V, 6, 19; V, 11, 2; VI, 24, 3; VII, 3, 11; VIII, 5, 1; IX, 14, 1; XI, 2, 11; XII, 52, 17; XIII, 20, 3.

„Citra" a Columella aut de tempore usurpatur (qui usus apud alios scriptores rarissime et demum inde ab Ovidio invenitur: [2]) II, 8, 3 citra Calendas Octobris seminare; aut dicitur de eo, quod finem non attigit: VII, 6, 5 nec tamen ea sola creant abortus, sed etiam glans, cum citra satietatem data est. cf. IX, 13, 2 (Ov. Cels. Plin. Suet.); aut per translationem eadem vi adhibetur qua „sine": I, 1, 2 voluntas facultasque citra scientiam — afferunt iacturam. II, 10, 16 potest etiam citra istam medicationem servari; III, 10, 16; VI, 2, 11; VI, 2, 14; VII, 3, 16; XI, 3, 55; VI. 37, 7 etiam citra praedicta signa dissimiles sui mulas fingit. Uno loco „citra" eandem significationem habet quam „praeter": II, 2, 10 citra hoc experimentum multa sunt, quae — significent.

---

[1]) Cfr. Hand. Turs. II pg. 64.

[2]) Cfr. Kühner, Lat. Gramm. II pg. 397.

„Inter initia“ = „initio“, quod invenitur apud Celsum, Plin. maj. Suet., apud Columellam occurrit II, 10, 28; VI, 32, 1; „Inter cetera“: II, 9, 6 inter cetera ignorare non debemus. III, 3, 1. (Cicero dicit „de cetero“).

„Ob hoc“ pro „ideo“ dicitur VII, 3, 21; VIII, 5, 17. „Per“ saepe accedit ad significationem praepositionis „in“, veluti VIII, 2, 2 avis, quae per omnes fere villas conspicitur. VII, 10, 1 per pascua consistunt. Eadem praepositione „per“ causa exprimitur (ut iam apud Ciceronem): VI, 35, 1 per hunc amorem intereunt. VII, 5, 21 per imprudentiam pastoris. I, 1, 17 per facultates. Sed locutiones „per hoc“ (Col, I, 8, 15), „per haec“ (I, 9, 9) a Ciceronis et Caesaris consuetudine abhorrent. Similiter „per omnia“ demum inde a Livio dictum est pro „in omnibus“, „omnino“. Columella ita scripsit IV, 2, 3; VI, 37, 5. „Distributive „per“ positum est XI, 1, 22 mancipia per nomina citare.

„Post“ poëtae et scriptores recentioris aevi cum pronominibus „hoc“ „haec“ coniungebant, cum priores „postea“. „posthac“ ponerent. „Post hoc“ Columella adhibet: XI, 3, 64; XII, 44, 6; XII, 57, 1. „post haec“ 1 praef, 3; III. 4, 3; IV, 21, 10; VI, 2, 7; XII, 2, 1. XII, 38, 2; XII, 48, 3; VIII. 5, 17.

Summopere in deliciis habet Columella locutiones „propter hoc“ et „propter quod“ „(quae)“ pro „propterea“, „quare“, quas ad usum singulorum tantum scriptorum pertinere Handius affirmat. [1]) Paucos tantum affero locos; propter hoc 12 praef. 1; XIII, 8, 13. propter quod I, 6, 18; IV, 29, 10; VIII, 14, 3; XII, 4, 3; XIII, 1, 3. propter haec VII, 9, 8. propter quae I, 5, 7; VI, 2, 10; VIII, 10, 6.

„Supra“ translata notione positum est I, 3, 10 supra triumphalem fortunam putavit esse. I, 3, 11 supra quinquaginta iugera — supra vires. cf. VII, 1, 2. De tempore „supra“ a Columella ut saepe a Livio usurpatur: XII, 51, 3 supra duos menses sapor non permanet integer.

„Ultra“ quoque de tempore adhibetur: VII, 6, 8 nec ultra octo annos matres servandae sunt. (Cfr. Sen. ep. 102, 4; Quinct. IX, 2, 88).

§ 39.

Praepositiones, quae ablativum requirunt.

Praepositio „ab“ significans, respectu cuius rei aliquid dicatur, raro invenitur.[2]) Apud Columellam hos inveni locos: VI, 1, 2 Appenninus boves progenerat durissimos nec ab aspectu decoras. VI, 36, 3 quidam admissarii contempti ab aspectu. VI, 29, 3

---

[1]) Cfr. Hand. Turs. IV pg. 613.

[2]) Cfr. Draeger H. S. I pg 622.

corpus ab aspectu agile. — „Ab" idem significare videtur, quod „post" vel „secundum": II, 10, 22 ab his leguminibus ratio habenda est naporum raporumque [1]). II, 14, 4 post haec ovillum stercus et ab hoc caprinum (optimum) est. cf. II, 10, 4; III, 2, 21. „Ab" positum est, ubi nudum ablativum exspectamus: V, 10, 4 ut terra — a pluviis non abluatur.

Praepositio „cum" insolenter posita est apud verbum complendi pro nudo ablativo: XIII, 4, 5 sulcum cum instercorata terra ad medium completo.

„De" pro „ex" usurpatur XII, 49, 8 cum olivae exeunt de muria. XII, 49, 4 spissamento facto de arundinum foliis.

Praepositio „desub" rarissime invenitur; apud Columellam uno loco occurrit XII, 34 mustum desub massa et limpidum sit. (Quamquam hic locus interpolationis suspicione non caret.) [2])

„Ex" usurpatur de materia, unde aliquid confectum est: VII, 3, 21 aluntur ulmeis vel ex fraxino frondibus. VII, 3, 22 ex leguminibus paleae. — Porro ex medicorum more [3]) de ea re dicitur, quacum commixtum aliquod medicamentum praeparatur: XII, 48, 1 ex aceto modice in cacabo aeneo (inulam) coquito. Columellae propriae sunt hae locutiones: VI, 29, 3 corpus sit ex longo — rotundum; mores autem laudantur, qui sunt ex placido concitati et ex concitato mitissimi; VIII, 2, 9 paleae ex rutilo albicantes — iubae variae vel ex auro flavae. „Ex eo" pro „inde" dicitur: II, 2, 28 colla conflagrant et ex eo tumor ac deinde ulcera invadunt.

„Prae" cum verbis, quae significant quietem, inde a Livio pro „ante" coniungitur. [4]) Ita Columella dicit: I, 5, 4 ut a tergo potius quam prae se flumen habeat.

Praepositionis „pro" haec exempla putavi notanda: III, 5, 1 quod ego minime reor esse pro agricola. XII, 36 hoc vino possis pro remedio uti.

„Procul" adverbium quasi praepositio cum ablativo positum est: 1 praef. 33 illud procul vero est. VII, 8, 3 mulctra haud procul igne constituenda est. (Liv. Quinct. Plin. Suet.) Sed aliis locis legitur „procul ab": 1 praef. 30 procul a mari; I, 2, 3; III, 7, 2; V, 1, 8; IX, 1, 1; IX, 5, 1.

---

[1]) Cfr. Plin. n. h. XIV, 7, 9 ab his dignatio est Sicyonio

[2]) Cfr. Hand. Turs. II pg. 282 sq.

[3]) Cfr. Hand. Turs. II pg. 633.

[4]) Cfr. Draeger. H. S. I pg. 641.

§ 40.

Praepositiones, quae coniungi possunt cum utroque casu

Praepositio „in" cum accusativo apud argenteae latinitatis [1]) auctores significat punctum temporis, usque ad quod res aut actio extenditur. Crebra Columellae afferri possunt exempla: II, 10, 18 ab aequinoctio autumnali serenda sunt in Idus Octobr. IX, 9, 3 in octavam diei horam. Maxime vero familiare est Columellae dicere „usque in" pro „usque ad". Satis erit paucos promere locos: 1 praef. 7 usque in hoc tempus: I, 6, 9; II, 4, 9; III, 14, 1; IV, 32, 5; V, 5, 8; VI, 3, 6; VIII, 5, 8; IX, 14, 7; XI, 2, 11; XII, 20, 8.

In adverbium abiit „in tantum", „in quantum" quod eodem sensu usurpatur, quo „eo usque" vel „adeo" et iam apud Livium reperitur; habes „in tantum" III, 3, 13; IV, 6, 3; IV, 11, 2; IV, 24, 19; XI, 1, 18; „in quantum" III, 10, 20; III, 13, 19.

„In" cum ablativo minus usitato more subiungitur (eodem usu, quo verba ponendi et collocandi etc. construuntur) nonnullis verbis, quae motum significant: XII, 21, 2 sal conicitur in urceo fictili. VI, 4, 2 in naribus infundere. XI, 2, 49 sol introitum in Cancro facit.

Praepositionem „sub" sequente accusativo apud Columellam non inveni. „Sub" cum ablativo summa licentia ponitur, ubi exspectamus ablativum solum vel alias praepositiones (in, cum, per): I, 1, 20 sub exspectatione successorum rapinis student. I, 2, 1 sub hoc metu villicus erit in officio. IX, 1, 3 quicquid sub iniuria pluviarum magis diuturnum est. VII, 5, 17 Boli Mendesii commenta sub nomine Democriti falso produntur. — De tempore „sub" adhibetur: V, 5, 15 sub ortu caniculae. VII, 12, 3 sub obscuro mane vel etiam crepusculo. XI, 2, 8 sub aestate.

Praepositionem „super" cum accusativo ita usurpatam videmus, ut idem valeat atque „praeter": super haec VI, 3, 4; IV, 27, 3. super cetera III, 19, 2; IV, 24, 21. — III, 2, 13 super hunc numerum singularis habetur Aminea (vitis). 1 praef. 27 quis tanti studii fuit, ut super ista, quae enumeravimus, tot nosset species? (Ita Sall. Liv. Verg. posteriores locuti sunt).

§ 41.

De praepositionibus generaliter adnotanda.

Non legitime neglecta est saepius praepositio duobus pluribusve membris

---

[1]) Cfr. Draeger, H. S. I pg. 655. b.

enuntiati coniunctis: IX, 2, 1 neque diligentius quicquam praecipi potest, quam ab Hygino iam dictum est, nec ornatius quam Vergilio nec elegantius quam Celso. III, 1, 3 in densa non minus quam in resoluta, saepe etiam gracili atque pingui — terra. II, 10, 4 vel in vetereto vel melius pingui et restibili agro. I, 7, 2 tenax esse sui iuris debet sicut in diebus pecuniarum, ut lignis et ceteris parvis accessionibus exigendis. III. 3, 6 per avaritiam vel inscientiam vel per neglegentiam. — Praepositio „in" nonnunquam demum in secundo membro ponitur: III, 15, 1 macro solo — in pingui. XII, 16, 1 aheno vel in olla nova — lixiviam — calefieri convenit.

De collocatione praepositionum vide infra pg. 41.

Caput IX.

De infinitivo atque accusativo cum infinitivo.

§ 42.

Infinitivus, commodissima illa sermoni cotidiano structura,[1]) nonnullis verbis subiungitur, e quibus apud veteres scriptores „ut" vel alia particula pendere solet, quamquam raro infinitivus quoque admittitur: Nec absistat id facere XII, 9, 4 (Liv. Val. Max. poët.). Agricolae captantis undique voluptates acquirere VIII, 11, 1 (Ov. Phaedr.). Censeo igitur in propinquo agrum mercari I, 2, 1; II, 11, 3; III, 1, 4; VIII, 13, 3 (saepissime)[2]). Bubulci non committunt scamna facere II, 4, 3. (Ov. Met. IX, 632). Contingit palumbos pinguissimos facere VIII, 8, 1.[3]) Locus, quem saepire destinaveris XI, 3, 4; XI, 3, 13. (Caes. b. c. I, 33, 4. Liv. al.). Custodis curam non effugiat observare VIII, 11, 12 (apud solum Columellam). Mel ter infervere facito XII, 38, 5. (Etiam Cicero semel ita scripsit: Brut. 38, 142; sed alias rarissime id invenitur.)[4]) Cato agricolationem latine loqui primus instituit I, 1, 12.[5]) Vineas mergis propagare Atticus praecipit IV, 2, 3 (etiam Cic. et praesertim posteriores). Praemoneo serentem ventum — vitare III, 19, 2. Multi praetulerunt carere penatibus I, 3, 6 (Auct. b. Alex. VI, 5, 1. Hor.). Quaerat semper addiscere, quod ignorat I, 8, 13. (Ita poëtae locuti sunt; ante Columellam hoc apud nullum solutae orationis scriptorem

---

1) O. Rebling, l. l. pg. 15.
2) Cfr. Hor. ep. I, 2, 9 censet belli praecidere causam.
3) Cfr. Cicero pro Arch. 3, 4.
4) Cfr. Archiv III pg. 181.
5) Cfr. Verg. ecl. III, 22 Pan primus calamos cera coniungere plures instituit.

invenitur).[1]) Versificationis nostrae gustum negare non sustinebam XI, 1, 2 (Vell. Curt. Quinct. Suet.). Praecepta non consummare scientiam sed adiuvare promittunt I, 1, 17 (Plaut, Amm.). Fines, quos ne circumire equis quidem valent I, 3, 12; I, 8, 4; II, 1, 3; III, 10, 6; V, 5, 9; VI, 5, 1; VIII, 17, 6; XII, 2, 5 (saepius). 12 praef. 6 natura non omnes res commodas amplecti valebat.[2])

Infinitivus (acc. c. inf.) subiecti vice fungitur: I, 1, 1 neque enim scire aut velle cuiquam satis fuerit. V, 7, 17 arboris perpetua cultura est non solum diligenter eandem disponere, sed etiam truncum circumfodere.[3])

§ 43.

Haud raro a Columella infinitivus perfecti pro infinitivo praesentis ponitur, quem usum ab elegantium scriptorum more plane abhorrere, sed nonnunquam a poëtis, qui Augusti temporibus floruerunt, et saepe a Livio admissum esse grammatici docent.[4]) XII, 55, 1 hactenus dixisse abunde est. II, 3, 2; IV, 19, 1; V, 3, 9; V, 9, 18; V, 12, 5; VI, 26, 4; XI, 3, 14; XII, 3, 11. Nunc admonuisse satis est I, 9, 3; cf. V, 9, 15; VI, 5, 3; VIII, 14, 6; XI, 1, 9. Haec dixisse satis habeo VI, 29, 5. Cum audisse potuerit I, 3, 5. Caput est (eius disciplinae) semel fecisse XI, 1, 28. Optimum est sementem confecisse XI, 2, 90. Ut tam capitale esset bovem necasse quam civem 6 praef. 7. Nisi aequius existimamus praedam cepisse 1 praef. 7. Criminosum fuit possedisse I, 3, 11. Praestat refugisse I, 5, 6. Multum proderit fecisse II, 15, 4. Cum retulerit deposuisse III, 4, 2. Credidisse socordis est III, 20, 6. Plus prodest — subegisse terga quam si — cibos praebeas VI, 30, 1. Magnae rei fuisse participem non minima gloria est XI, 1, 12.

§ 44.

De accusativo cum infinitivo primum adnotandum hoc est, accusativum pronominis, quod est „is“, saepius omitti, veluti: II, 20, 2 constat enim, si (frumenta) tempestive decisa sint, postea capere incrementum. III, 10, 14 incredibile (est), si genitali loco virga nata fructu careat, careturam quoque esse fetu. IV, 27, 6 si fatigata vitis fuerit, requiescere ac refici par erit. VI, 24, 3 si parte

---

[1]) Cfr. Antibarbarus II pg. 395.

[2]) Hunc locum Draeger (H S. II pg 301) Ciceroni, quem Columella brevi spatio ante tanquam fontem suum nominavit, assignat, sed procul dubio minus recte, cum valere cum infinitivo coniunctum apud Ciceronem omnino non exstet, sed in prosa oratione primum apud Livium inveniatur uno loco: 38, 23, 4.

[3]) Cfr. Cato de r. r. 61, 2 cetera cultura est multum serere et diligenter eximere semina.

[4]) Cfr. Kühner l. l. II pg. 101, 10. Draeger H. S. I pg. 254 sq.

dextra desiluit (taurus), marem seminasse manifestum est. VII, 9, 1 maxime ad rem pertinet, quam salacissimos esse (sc. mares). IX, 1, 3 ratio postulat vacerris includi (sc. pecudes). XI, 3, 7; III, 2, 28; IV, 24, 9. al.

„Non dubitare“ sequente acc. c. inf. a Caesare et Sallustio repudiatum, a Cicerone uno loco (ad fam. XVI, 21, 2) admissum, a Livio crebro usurpatum est;[1]) apud Columellam undevicies cum acc. c. inf. coniunctum invenitur, cum quater et vicies particula „quin“ sequatur. Nonnulla promo exempla: II, 8, 4 quod ego conducere agricolae non dubito. I, 3, 5 quis dubitet eam maxime probatam haberi. I, 7, 5 utraque peccata — vitio domini vel committi vel foveri nihil dubium est. At III, 20, 4 nihil dubito quin vites — per species digerendae sint. I, 3, 9 nec dubium (est), quin minus reddat ager.

Accusativus cum infinitivo contra morem adhibetur in enuntiato comparativo: I praef. 17 ut enim, qui in villis — morarentur — ignaviores habitos, sic eos, qui sub umbra civitatis desides cunctarentur — segniores visos. (Quamquam ipse Cicero semel ita scripsit pro Cluent. § 138).[2]) Semel Columella accusativo c. inf. usus est in enuntiato causali: I, 3, 9 imbecilliorem agrum quam agricolam esse debere, quoniam — allidi dominum (Cfr. Liv. XXVI, 27, 12, Sen. ep. 97, 13).

Caput X.

De interrogationibus et enuntiatis relativis.

§ 45.

De interrogationibus.

„Utrumne“, quod pro utrum ab Horatio primum usurpatum est,[3]) apud Columellam semel invenies: XI, 1, 5 rogatus, utrumne consueverit.

„An“ ex more recentiorum scriptorum usurpatur eodem modo, quo „num“ (quod Columella satis raro habet), in indirectis enuntiatis interrogativis: XI, 2, 82 affirmare non ausim, an — fieri possit. VIII, 2, 1 ambigitur an. XI, 2, 72 considerare an. cf. XII, 1, 3. XIII, 1, 3 dubium esse an. I, 8, 16 explorare an. cf. II, 4, 3; XI, 1, 22. III, 3, 1 exploratum habere an. III, 3, 1 dum nondum concedatur, an omnino sint habendae. III, 4, 2 incertum est, an. XI, 1, 7 inspicere an. cf. XIII, 2, 1. III, 15, 5 ratio docebit an. V, 7, 4 reditus docebit an. VII,

[1]) Cfr. Draeger, Synt. u. Stil. des Tac. pg. 61.
[2]) Cfr. Draeger, Synt. u. Stil. des Tac. pg. 61.
[3]) Cfr. Draeger H. S. I pg. 347 sq. et II pg. 468.

12, 7 nec multum refert an. I, 1, 3 scrutari atque aestimare an. VIII, 11, 12 quod signum habebit an. IX, 8, 4 speculari an. I, 8, 18 quaerere an.

In interrogatione indirecta nonnunquam indicativus exstat, ubi exspectatur coniunctivus, quem usum proprium esse sermonis cotidiani constat. [1]) IX, 3, 4 saepe morbis intercipiuntur, quibus quemadmodum mederi oportet, suo loco dicetur. I, 2, 1 nec ignoret, quicquid in eo (agro) recte fieri poterit.

Miram quandam coniunctivi et accusativi cum infinitivo confusionem in interrogatione indirecta invenies: IX, 2, 3 nec sane rustico dignum est sciscitari, fueritne mulier pulcherrima specie Melissa, quam Juppiter in apem convertit, an — ut Euhemerus poëta dicit — crabronibus et sole genitas apes, quas nymphae Phryxonides educaverunt, mox Dictaeo specu Jovis existitisse nutrices easque pabula munere dei sortitas, quibus ipsae parvum educaverunt alumnum.

§ 46.
De enuntiatis relativis.

Relativis generalibus apud probatissimos scriptores nunquam fere coniunctivum addi notum est. Apud Columellam hic modus reperitur: VII, 5, 1 quae (differentiae) tamen, quantulaecunque sint,[2]) non omittentur a nobis. IX, 15, 8 favi qualescunque sint.

Relativum generale pro particula condicionali exstat I, 2, 1 quicquid (= si quid) vero dabitur occasionis, ruri dominus moretur.

Figura „eatenus — qua“, quae rarissime invenitur, [3]) apud Columellam occurrit IV, 7, 2 eatenus plaga consistit, qua vestigium fecit acies. XII, 9, 1.

Nomen, ad quod relativum pertinet, ex enuntiato primario in enuntiatum relativum transponi plerumque apud poëtas, raro apud prosae orationis scriptores Draegerus dicit. [4]) Apud Columellam hanc locutionem inveni: III, 10, 20 quamvis nullo alio sit scripto proditum exceptis quos retulimus numeros Vergilii.

Attractionis inversae, [5]) qua substantivum, cui enuntiatum relativum annexum est, pronominis relativi casum induit, exempla inveni haec: XIII, 4, 4 vitem, quam ponis, fac ut ea orientem spectet. XIII, 26, 9 materiem, quam inseveris, si subolem — habebit, omnia praecidito.

---

[1]) Cfr. Ph. Thielemann: De sermonis proprietatibus, quae leguntur apud Cornificium et in primis Ciceronis libris. Argentorati 1879. pg. 86.

[2]) Aliqui codices deteriores indicativum exhibent.

[3]) Cic. eam semel exhibet: Tim. 11.

[4]) Draeger. Synt. u. Stil d. Tac. pg. 66.

[5]) Dubium non est, quin haec structura, quae apud poëtas comicos, rarissime vero in prosa oratione invenitur sermonis cotidiani neglegentiae conveniat. cfr. Kühner l. l. p. 847, 10.

Caput XI.

De gerundio et gerundivo atque de supino.

§ 47.

De gerundio ac gerundivo.

Genetivum gerundii his adiectivis adiunctum apud Columellam inveni 1 praef. 3 ita dicendi cupidi. IV. 25, 1 vinitor gnarus est iis utendi.

Genetivi gerundii, qui pendet ex substantivo, hoc mihi videtur afferendum esse exemplum: 1 praef. 5 contemptissimorum vitiorum officinas gulosius condiendi cibos et luxuriosius fercula struendi esse audivi.

De locutionibus „praecipiendum habeo“ et similibus vide supra pag. 12.

Dativus gerundivi, qui inde a Livio cum adiectivis connectitur,[1]) a Columella saepius ita adhibetur. VIII, 14, 4 anseribus admittendis tempus aptissimum. IV, 33, 1 castanea est stabiliendis vineis habilis. VII, 12, 11 mares — ineundis feminis habiles. XII, 13, 1 caseo praeparando idoneum tempus. II, 2, 1 terram progenerandis esse fetibus inhabilem. VIII, 5, 5 novellae magis edendis quam excludendis ovis utiliores sunt. VIII, 11, 15 locustae — utiles cibandis pullis habentur. XII, 52, 6 oleo conficiendo molae utiliores sunt.

Adnotandum quoque est, Columellam ut iam Livium et praesertim Plinium et Tacitum dativum gerundivi ponere pro enuntiato finali: VII, 12, 2 alterum genus propellendis iniuriis hominum ac ferarum eligitur.

Ad extremum moneo, Columellam, cum verba impersonalia „poenitendi“ et „pudendi“ tanquam personalia adhibeat, formis „poenitendus“ „pudendus“ uti, quem usum optimi scriptores aspernati sunt. II, 2, 6 ager colono est poenitendus. 1 praef. 13 flagitiosa et quodammodo pudenda disciplina.

§ 48.

De supino.

Usus utriusque supini apud Columellam angustissimis finibus continetur. Namque supini, quod exit in „um“ unum tantummodo inveni exemplum: IX, 5, 1 cum prodeunt pabulatum apes. Supini vero, quod terminatur in „u“, haec reperiuntur exempla: III, 1, 4 facile dictu est. VIII, 8, 8 non facile dictu est. IX, 11, 4 est autem facilis conspectu rex.

---

[1]) Cfr. Draeger H. S. II pg. 837 sq. Semel tantum adiectivum „accomodatus“ apud Ciceronem invenitur cum dat. ger. coniunctum: de sen. 70.

Caput XII.

De enuntiatis coniunctionibus subiectis.

§ 49.

De enuntiatis temporalibus.

Perpauca in hoc capite commemoranda sunt. „Cum iterativum“ cum indicativo ponitur: 1 praef. 18 veteres Romani, cum consilium publicum desiderabatur, e villis arcessebantur in senatum. XII, 44, 5 quae cum, praeparaverat — praecipiebat.

„Cum temporale“ cum indicativo perfecti occurrit: XIII, 26, 9 quartum insitionis genus iam docuimus, cum de vitibus disputavimus.

„Cum subito“ pro „simulatque“ videtur usurpatum esse: IX, 9, 3 quaedam (apes) solent, cum subito evaserunt, sine cunctatione se proripere.

Insolentiore ratione „ut“ idem significans quod „ubi primum“, cum coniunctivo perfecti positum est: VIII, 5, 15 pullos autem non oportet singulos, ut quisque natus sit, tollere, sed uno die in cubili sinere.

Ad latius dicendi genus pertinere videntur formulae: usque eo, dum V, 11, 6; XII, 20, 4. tamdiu, dum VII, 6, 8; XI, 3, 51. usque eo, quoad VI, 31, 2; quamquam eiusmodi locutiones ne apud Ciceronem quidem desunt.[1])

§ 50.

De enuntiatis comparativis.

Ad comparandas res aequales Columella nonnullis particulis minus usitatis utitur: „aeque-quam“ pro „aeque-ac“ VIII, 12, 2 locum aeque munitum et apricum quam columbi desiderant. VIII, 17, 13. V, 5, 7 (sed hoc loco codices non congruunt). „Aeque-ac“ legitur IX, 5, 2: aeque enim dedignatur (apis), si minus pura habita est, ac si tractetur fraudulenter. — „Velut-ita“ III, 18, 5 velut per fistulam, ita per apertam vitis medullam humor trahitur. „Sicut“ sine particula respondenti („ita“ „sic“) ponitur VII, 7, 4 sicut in ovillo pecore praedictum est, caprino medebimur.

Nonnullis locis enuntiata comparativa mutila videntur esse, cum pronomen demonstrativum in enuntiato primario omittatur, qui usus primum a Livio admissus est.[2]) IV, 16, 3 quanto propius truncum ridica statuitur, stabilior est.

---

[1]) Cfr. H. Hellmuth: De sermonis proprietatibus, quae in prioribus Ciceronis orationibus inveniuntur in Act. sem. Erlang. I pg. 161.

[2]) Draeger H. S. II pg. 655.

II, 20, 6; IV, 23, 3; V, 7, 4; VI, 27, 8; VII, 9, 3; XII, 20, 3. Quin etiam „eo magis" deest: VIII, 11, 9 quae (ova) quo propius ac mollius deciderint, illibatam servant integritatem. Pro „quanto — tanto" apud Columellam etiam invenitur „quanto — eo": XII, 23, 1 pix, quanto facta est vetustior, eo melior in usu est. XII, 30, 1 quanto maior aestus erit, eo saepius convenit vinum nutriri.

Duobus locis Columella in secundo membro enuntiati positivum gradum pro comparativo, posuit, qui usus ab elegantium scriptorum consuetudine plane abhorret. [1]) VI, 27, 1 ut quaeque materies est praestantior, ita ubere campo pascitur. VI, 1, 3 parandi sunt boves cruribus brevioribus potius quam longis. [2])

Postremo adnotari velim, ut Varronem [3]) ita Columellam quoque comparativo id membrum praemittere, quod ex particula „quam" pendet, e. g: XII praef. 6 virum quam mulierem fecit audaciorem.

§ 51.

De enuntiatis consecutivis.

Formula „sunt qui", cum apud aureae latinitatis scriptores fere semper coniunctivum asciscat, apud cotidiani sermonis auctores constanter cum indicativo construitur. [4])

Columella indicativo usus est: II, 19, 2 sunt qui destinant — et expoliunt. VIII, 15, 4 sunt quibus cordi est. VIII, 3, 8 sunt qui — replentur. Addo XIII, 9, 1 uvas tales creat, in quibus — reperiuntur acini. Sed coniunctivus positus est: VI, 7, 3 sunt qui — deterant — infundant. II, 21, 2.

Argenteae latinitatis propriae sunt locutiones: „in tantum procedere", „in tantum exuberare, ut" et similes, positae pro „procedere eo" vel „usque eo, ut". Col. III, 3, 13 nostra cura in tantum processit, ut — rustici mercentur. IV, 6, 3 materiae in tantum prorepunt, ut iugum exsuperent. IV, 24, 19 in tantum provocant (materiam), ut nequeat terram contingere. XI, 1, 28 res in tantum exuberat, ut — iacturam restituat.

„Ut non" positum videtur esse pro „ne": V, 9, 4 hoc facere utile est propter fossorum ignorantiam, ut taleae non laedantur. V, 10, 4 scrobis clibano

---

1) Draeger l. l. II p. 655 sq.

2) Plura huiusce usus exempla invenies apud Tacitum (cfr. Draeger Synt. u. Stil d. Tac. pg. 73.) At quod Woelfflinus, vir doctissimus, scribit (Lat. et rom. Compar. pg. 71): „Hier hat Tacitus zuerst und vielleicht allein gewagt, in dem zweiten Glied den Positiv zu setzen", secundum hos Columellae locos sit corrigendum.

3) Cfr. G. Heidrich: der Stil des Varro. Progr. Melk. 1892, pg. 21.

4) Cfr. Ph. Thielmann l. l. pag. 87.

similis sit, — ut terra — a pluviis non abluatur. — VIII, 4, 3 esca bis dividenda est, ut — aves non — evagentur.

„Quin" sequitur verbum dubitandi, ubi illud eadem notione adhibetur qua „cunctari"; quamquam hic usus ne apud optimos quidem scriptores plane deest. IX, 5, 1 si villae situs ita competit, non est dubitandum, quin aedificio iunctum apiarium maceria circumdemus.

„Quominus" contra usum ponitur: VII, 9, 12 qui (porculator), si memoria deficitur, quominus agnoscat cuiusque progeniem; pro „quin" usurpatur II, 18, 2 nec omnino cunctabimus, quominus sub tectum congeratur.

„Necesse est" a Columella ut ab optimis scriptoribus cum infinitivo coniungi solet; bis tamen occurrit „necesse est, ut", quod etiam apud Ciceronem tribus locis invenitur.[1]) Col. III, 21, 6 necesse est, ut neglegentiae vindemiatorum aleam subeat. cf. XII, 52, 2.

De formula „adeo non, ut" vide ea, quae disputavimus pag. 9.

§ 52.

De enuntiatis finalibus.

Usitatissimum est Columellae coniunctioni „ne" praemittere particulas „sic" et „ita": I, 6, 3 ergastulum fiet illustratum fenestris a terra sic editis, ne manu contingi possint. I, 6, 5 stabula sic ordinentur, ne quis humor influere possit. V, 5, 4 semina ita deponantur, ne protinus totus scrobis terra compleatur. XIII, 26, 9 circa gemmam bene vincito ita, ne laedas. — Similis structura est: „eatenus-ne": V, 6, 14 allevandum est eatenus, ne plaga corpori matris applicetur. Pro „ita-ne" duobus locis reperitur: „ita, ut ne": VI, 9, 2 taleas recidito ita, ut ne corticem laedas. XII, 52, 4 cannas inicito ita, ut ne bacam transmittere queant.

Particula „ut" saepius ex praeeunte particula „ne" supplenda est: I, 8, 13 ne quid se putet scire quaeratque semper addiscere. cf, II, 17, 1; V, 1, 4; V, 5, 4.

„Nec" pro „neve" praecedente „ut finali" satis frequens est apud Columellam ut apud aequales: I, 6, 22 plurimum refert — assiduo fimum macerari liquore, ut spinarum vel graminum semina intereant nec segetes herbidas reddant. I, 8, 6; II, 4, 10; II, 17, 1; IV, 10, 2; IV, 16, 4; IX, 14, 3; XII, 47, 2 al.

Insolenter Columella „et non" adhibuit pro „neve" praeeunte „ut" vel „ut ne": VI, 23, 1 stabula spectent ad meridiem, ut facile siccentur et frigidis

---

1) Cfr. Ph. Thielmann l. l. pag. 85 sq.

ventis non sint obnoxia. IV, 7, 4 ut ne influant imbres, et, si forte tamen ingressi fuerint, non immorentur.

Graecorum more Columella semel scripsit: „cum eo (ἐπὶ τούτῳ) ne“, quae locutio primum apud Livium invenitur.[1]) Col. V, 1, 4 obsequar voluntati tuae cum eo, ne dubites.

Postremo commemorare iuvat, „ne“ pendere ex substantivo, quod est timor: XI, 3, 63 ubi timor est, ne autumnalis satio hiemis gelicidiis peruratur. (Liv. Verg.).

§. 53.

De enuntiatis causalibus.

Ante omnia hoc loco monendum est, Columellam valde amare particulam „quoniam.“ Cum Tacitus, ut alium scriptorem afferam, particula quoniam tantum septies et vicies usus sit,[2]) Columella eam decies et ducenties adhibuit, ita ut particulae „quia“ et „quod“ multo rarius ponantur. Ita exempli gratia Columella in primo libro usurpavit „quoniam“ sexies decies, „quia“ ter decies, „quod“ bis; in octavo libro occurrit „quoniam“ bis et vicies, sedecies „quia“, „quod“ quinquies; in duodecimo libro „quoniam“ exstat undevicies, sexies „quia“, quater „quod“; Haud dubie ad vulgarem dicendi usum hoc referendum est, quippe cum vulgus semper vocibus bene sonantibus maxime laetetur. Cum igitur Columella particulam „quoniam“ tam frequenter adhibuerit, non est, cur miremur, quod „quoniam“ multis locis fere idem significat atque „quia“, et profecto variant inter se nonnullis locis particulae „quia“ et „quoniam“, veluti: III, 12, 1 neque nimium calidum solum posse tolerare vitem quia inurat, neque praegelidum, quoniam — radices — moveri non sinat. VIII, 11, 1 nam quoniam (pavo) nec sublimiter potest nec per longa spatia volitare, tum etiam quia furis — metus non est.

„Quatenus“ omnibus temporibus raro usurpatum est et in prosa oratione demum apud Valerium Maximum exstat.[1]) Etiam apud Columellam semel tantum occurrit: IV, 32, 4 tolerabilius arundo castratur, antequam caeditur, quatenus calami velut indices demonstrant, quid eruendum sit.

Nonnunquam coniunctivus additur particulae „quod“, ubi exspectamus indicativum. VII, 3, 7 variam canamque (ovem) improbabis, quod sit incerti coloris. VII, 6, 8 nec ultra octo annos matres servandae sunt, quod assiduo partu fatigatae steriles existant. cf. IX, 6, 3.

---

1) Cfr. Draeger H. S. II pg. 268.
2) Cfr. C. Reuss: De coniunctionum causalium apud Tacitum usu. Halis 1876.
3) Cfr. Draeger H. S. II pg. 680.

Ex coniunctione „non quia“ apud Columellam coniunctivus pendere solet, semel tantum indicativus invenitur: VIII, 17, 12 nos plura nominavimus genera, non quia cuncta cunctis litoribus exeunt, sed ut ex his — aliqua praebeamus. —

§ 54.

De enuntiatis condicionalibus.

Particulae „si,“ „nisi“ omni quidem aetate coniunguntur cum coniunctivo praesentis vel perfecti, ubi in enuntiato primario indicativus positus est, sed apud probatissimos auctores hic usus certis finibus inclusus est;[1]) apud Columellam vero hic loquendi mos innumeris locis invenitur, ut paucos promere satis sit. I, 6, 15 quae (fruges), nisi diligenter repositae sint, consumuntur. I, 6, 16 acervi, si maneant inmoti, infestantur. II, 9, 11 nisi cura adhibeatur, frumenta degenerant. III, 2, 22 nisi maturi legantur, ad terram decidunt. IV, 1, 3 istud contingere potest, si ager moveatur. VI, 3, 5 si regionis copia permittat, glans adicitur. XII, 10, 3 commodius servantur, si — misceantur.

Particulam „si“ Columella usurpat eadem significatione, qua aliis locis particula interrogativa „an“ utitur: VIII, 5, 14 auscultetur, si pulli pipiant. IX, 1, 7 custos vivarii speculari debebit, si iam effetae (pecudes) sint.

„Si tamen“, quod apud Ovidium et Plinium minorem legitur, etiam apud Columellam saepius invenitur, idque coniunctum cum coniunctivo: II, 13, 1 de lupino nihil dubito, si tamen aratrum subsequatur. II, 12, 7; II, 15, 2; II, 18, 3; III, 11, 1; III, 11, 3; cum indicativo: IV, 24, 10 si tamen ita praevaluit — tollitur. IV, 22, 1; II, 17, 5.

De coniunctione „nisi si“ vide infra § 68 fin.

§ 55.

De enuntiatis concessivis.

„Quamquam“ a Columella duobus locis cum coniunctivo connectitur. III, 2, 32 de hac sententia quamquam et ipse paulo ante idem censuerim. III, 10, 15 appellatio rationem mihi subiecit non eligendi malleolos, quamquam et hos ipsos sciam non in totum sterilitate affectos.

Ut fere ab omnibus omnis aetatis scriptoribus, ita a Columella quoque „quamquam“ ad circumscribendam quodammodo sententiam pronuntiatam usurpatur, velut: II, 21, 2 quamquam pontifices negant segetem feriis saepiri debere. VII, 12, 1; VIII, 8 10; VIII, 17, 2.

[1]) Cfr. Kühner l. l. III pg. 921.

„Quamvis“ frequenter de re vera ponitur ubi veteres „quamquam“ adhibent. Plerumque coniunctivus sequitur; e. g. III, 10, 20 id ipsum sensisse eos non dubium est, quamvis nullo alio sit scripto proditum; sed etiam indicativus haud raro admittitur: II, 9, 1 quamvis de mensura minus auctoribus convenit, hanc — docuit — usus. VI, 24, 4 quamvis non expletur libidine. VII, 3, 4 quamvis solus admissurae non sufficit. XI, 1, 2 quae quamvis videbar exsecutus: XII, 18, 1 quamvis diximus. XII, 53 1 quamvis non erat huius temporis olei — compositio. IX 6, 4 quamvis doctissimi viri auctoritatem verebar. II, 8, 3 quamvis tempestive sementis confecta erit.

„Quamvis“ Columella crebro non solum cum adiectivis (adverbiis), sed etiam cum participiis coniungit,[1]) velut: III, 10, 15 quamvis probabilis; III, 10, 18 quamvis diligenter. I, 5, 3 humor quamvis nocentis naturae. XI, 3, 65 quamvis instructus atque eruditus. Nunquam autem particula „quamquam“ ita a Columella usurpatur.

[1]) Cicero „quamvis“ nisi ad augenda adiectiva non adhibet; cfr. Draeger H. S. II pg. 845.



Pars II.

De ratione rhetorica.

Caput I.

De verborum collocatione.

§ 56.

Persaepe Columella recedens a simplici et ordinaria verborum collocatione subiectum in clausula enuntiati ponit, sive ut „adsignetur auditori et infigatur",[1]) sive nulla eiusmodi ratione intercedente. Jam pauca prioris generis affero exempla: IV, 11, 1 nam illam veterem opinionem damnavit usus. III, 14, 2 cum pluribus dotibus praestet viviradix. VI, 18, 1 magnam etiam perniciem affert hirudo. XII, 25, 2 huic rei vel maxime est idonea coelestis aqua. — Sed multis aliis locis non intellegitur, cur scriptor ab ordinaria collocatione recesserit e. g. IV, 6, 2 cum deinde paulum induruere virgae. V, 3, 9 ne in infinitum procedat disputatio nostra. V, 4, 2 quoniam pastionis expertes sunt ceterarum gentium agricolae.

Praecipue vero Columella hanc collocationem subiecti in enuntiatis relativis amat: IV, 12, 2 quod genus iugi canterium vocant rustici. IV, 13, 1 (vinculum), quo religantur semina. IV, 24, 4 (modus) quem dictabit humi atque ipsius stirpis laetitia. IV, 29, 16 lanugine, quam excitabat antiqua terebra. V, 3, 1 quibus frequenter utuntur agricolae. VI, 37, 4 quod seminavit asinus — quod progenerat onager. VI, 38, 2 herba, quam veratrum vocant rustici. VII, 5, 16 sacer ignis, quam pusulam vocant pastores. VII, 8, 4 pondera, quibus exprimatur serum. VIII, 5, 3 animalia, quae secum affert avis. XII, 23 pix, qua utuntur ad condituras Allobroges. XII, 25, 1 in mediterraneo, quo non est facilis aquae marinae invectio. XIII, 4, 6 sub qua consistit dulcis humor.

Frequentissime apud Columellam auxiliaria, quae vocantur, verba primum in sententia locum obtinent: VI, 3, 4 licet etiam vinacea misceri. VI, 16, 2 solent etiam neglecta ulcera scatere vermibus. VI, 26, 4 placet etiam

---

[1]) Quinct. IX, 429.

ulcera linire. VI, 3, 6 potest etiam idem praeberi. XI, 2 3 possit igitur — auspicari officia. XI, 3, 52 possunt etiam — rotulae subici. IX, 9, 4 poterit exploratam fugam praesciscere. XII, 52, 4 nam est inimicissima oleo amurca. VI, 19, 1 est autem talis machinae forma. — Constanter fere verbum „esse" primum sententiae locum occupat, ubi illud idem valet quod „exstare": VI, 2, 11 est etiam mollioris generis bos. VI, 37, 1 est et alterum genus admissarii. XII, 52, 11 sint autem in cella olearia tres labrorum ordines. XIII, 17, 3 sunt et regiae et radii. — Rarius autem alia verba primo enuntiati loco inveniuntur, e. g: I, 1, 16 illuminat rectam viam docentis magisterium. VI, 1, 3 parandi sunt boves novelli. VI, 5, 2 evincendi sunt — morbi. — VI, 10, 2 facit idem ervum. VII, 12, 4 probatur quadratus potius quam longus. XI, 3, 20 habet enim — spicas. XII, 25, 3 adiciuntur autem — salis sextarius et mellis — sextarius. XII, 52, 17 respuit enim olei pinguitudo talem materiam.

Mirabili quadam constantia scriptor noster eam vocabulorum collocationem adhibet, ut substantivum, cui attributum additum est, sententiam finiat et verbum positum sit inter substantivum eiusque attributum. Ex nube exemplorum pauca promo: II, 16, 4 ne collectam diutius contineat aquam. IV, 1, 7 longissimam cepit altitudinem. IV, 2, 1 duo viduantur statumina. IV, 4, 1 ratio, quam priore tradidimus exordio. IV, 15, 1 aeris repugnat iniuriae. IV, 16, 2 ut aquilonum excipiat violentiam. IV, 22, 1 si aliter formatas acceperimus vineas. VI, 30, 10 praedicta intereunt animalia. [1])

§ 57.

De collocatione adiectivorum non facile est certi aliquid statuere: multis locis ante substantivum ponuntur, ubi certa huius positionis causa non intellegitur, et nonnullis locis Columella in eadem sententia collocationem variat veluti: XI, 2, 101 ficulnea folia — folia ficulnea. XII, 8, 2 exiguum aridi thymi et cunilae aridae. VIII, 3, 4 fin. vimineos qualos; VIII, 3, 5 init. qualis vimineis. XII, 18, 3 cella vinaria. XII, 18, 4 vinaria cella.

Insolenti modo adiectiva nonnulla postponuntur: VII, 5, 19 in labro superiore. VII, 12, 1 exordio priore. VII, 9, 13 macies summa. VIII, 11, 4 partes summae. II, 20, 3 genera complura. XII, 47, 4 per annos plurimos. XII, 57, 2 candoris eximii. VI, 10, 1 sextarii duo. VIII, 5, 4 cura maior. VII, 6, 5 lanigerae mille. VII, 6, 3 mensium septem. IX, 11, 3 dux unus. VIII, 2, 7 pastoris unius curam.

[1]) Similem collocationem apud Apulejum inveniri H. Koziol („Der Stil des Apulejus", Wien 1874) demonstrat.

Pronomina „hic“, „is“, „talis“, quae ab elegantibus auctoribus non solent postponi, apud Columellam nonnunquam substantivum sequntur: V, 11, 6 arbor ea. VII, 9, 6 pecus hoc. II 16, 5 planities talis. XIII, 9, 1 uvas tales — ratione tali; sed XIII, 9, 3 tales uvas.

Appositio apud Columellam haud raro nomini antecedit: I, 1, 4 consultissimum astrologiae professorem Hipparchum. I, 1, 4 non spernendus auctor rei rusticae Saserna. I, 1, 7 celeberrimus vates — Hesiodus Boeotius. I, 1, 13 quasi paedagogi Vergilii Julii Hygini. I, 3, 7 Aventini montis incola Cacus. I, 1 14 nostrorum temporum viri Cornelius Celsus et Julius Atticus. I, 3, 8 acutissimam gentem Poenos. I, 4, 2 dux inclutissimus M. Attilius Regulus. I, 4, 6 praestantissimos viros L. Lucullum et Q. Scaevolam. I, 7, 3 veterem consularem virumque opulentissimum L. Volusium. VII, 5, 17 Aegyptiae gentis auctor memorabilis, Bolus Mendesius. IX, 3, 1 Peripateticae sectae conditor Aristoteles. XII, 4, 2 Graecae gentis non obscuri scriptores Mnaseas et Paxamus.

Adiectiva ex nominibus propriis vel ex nominibus urbium, terrarum, montium derivata fere toties praecedunt, quoties subsequuntur ita, ut vix ulla differentia cernatur; nonnunquam tamen orationis variandae causa anteponuntur, veluti: I, 1, 7 Democritus Abderites, Socraticus Xenophon, Tarentinus Archytas, I, 1, 9 Rhodius Epigenes, Chius Agathocles, Evagon et Anaxipolis Thasii. — Milesii Bachius et Mnaseas, Antigonus Cymaeus, Pergamenus Apollonius, Dion Colophonius, Hegesias Maronites. I, 1, 10 Poeni Magonis. 1 praef· 14 Romani generis. I, 1, 12 Carthaginiensem Magonem. III, 9, 2 in Ardeatino agro· VIII, 4, 4 Ephesio Heracleto. VIII, 8, 10 Gangeticas et Aegyptias aves. XI, 3, 26 Gaditani municipii· XII, 4, 2 Mago Carthaginiensis.

Minus solito more uno loco cognomen positum est ante nomen: XII, 4, 2 Maenas Licinius. I, 4, 1 „Cato Marcus“ praenomen sequitur cognomen.

§ 58.

Collocationes singularum enuntiati partium.

a) Adverbiorum. Adverbia a Columella persaepe postponuntur: II, 2, 23 levi admodum vomere. I, 3, 9 angustus eximie. II, 4, 6 expediri probe. II, 12, 7 probe satis excoli. II, 18, 1 fenum demetitur optime. III, 1, 8 solum nec densum nimis nec resolutum. III, 3, 3 reddidisse plerumque. III, 10, 9 vagetur insolenter. III, 11, 6 habilis maxime. IV, 24, 15 usurpari vitiosissime animadverto. V, 1, 1 quamvis inquirentem sedulo. V, 5, 7 formare sic convenit. V, 5, 12 hoc fieri tuto potest. IX, 14, 11 nihil est omnino detrahendum. IX, 10, 1 maiores paulo et oblongi magis.

b) Particularum. „Itaque" apud Columellam haud raro unum vel duo verba subsequitur: nos itaque III, 13, 11. cf. III, 3, 14; V, 5, 7; VI, 27, 3; VIII, 5, 4; IX, 8, 7; XI, 1, 8; XII, 50, 1; XIII, 6, 1 et saepius. Similiter „namque" contra consuetudinem optimorum scriptorum secundo loco apparet: III, 7, 1 plurimi namque. IV, 22, 2.

c) Praepositionum. In collocatione praepositionum Columella vix recedit ab elegantium scriptorum usu. Haec exempla digna mihi videntur, quae afferantur: candenti sub sole VI, 32, 1. dictos in usus VI, 36, 3. multos in annos XII, 12, 1. paucissimos post dies VII, 4, 3. leonis in pectore XI, 2, 53. eo usque IV, 24 20 (saepius). ab imo usque IV, 4, 1. ad fauces usque XII, 47, 2.

d) Coniunctionum. Ut apud alios auctores, ita apud Columellam quoque coniunctiones, praesertim „si", „cum", secundo, tertio vel posteriore loco occurrunt: II, 10, 31 nam frigoribus cum alia pabula defecerunt. II, 18, 1 omnem succum si amisit. III, 3, 4 nam frumenta maiore quidem parte Italiae quando cum quarto responderint. VI, 18, 2 has medicinas quamvis bubus adhiberi praeceperimus. I, 8, 12 iam illa vetera, sed optimi moris, quae nunc exoleverunt, utinam possint obtineri. XIII, 16, 3 „cum" decimo sexto loco positum est.

Caput II.

De sententiarum structura.

§ 59.

Columella, cum opus suum eo potissimum consilio componeret, ut homines indoctos in re rustica erudiret, eo uti debebat dicendi genere, quo maximam rei perspicuitatem efficere posset. Itaque rarissime apud eum longiores verborum ambitus inveniuntur, sed fere semper una sententia primaria coniuncta est cum una vel duabus sententiis secundariis; atque etiam ubi facile erat numerosos circuitus facere, sententias potius adnumeravit particulis copulativis, adversariis, causalibus, praesertim conclusivis — frequentissime enim, ut iam supra vidimus, usurpantur particulae: „ideo", „et ideo", „atque ideo" „ideoque" „propter hoc (haec)", „propter quod (quae)" [1]) — vel eas composuit per asyndeton. Ad quam sententias construendi consuetudinem Columella videtur adductus esse cum ea causa, quam modo proposuimus, tum Vergilii imitatione, quae non modo in decimo libro, sed etiam in aliis (libris) facile deprehenditur. Namque Vergilium, „vatem maxime venerandum [2]),

[1]) Cfr. pag. 11 et 24.
[2]) Colum. X praef. 3.

simili sententiarum constructione uti notum est. [1]) Satis erit unum afferre exemplum, quoniam, quicunque vel pauca Columellae legerit, hanc sermonis Columelliani proprietatem facile deprehendet. IV, 29, 10 vinculi genus ad insitionem non unum est: alii viminibus obstringunt; nonnulli circumdant libro fissuram; plurimi ligant iunco, quod est optimum; nam vimen, cum inaruit, penetrat et insecat corticem; propter quod molliora vincula magis probamus. [2])

§ 60.

Haud raro singulae sententiae ordine aequo collocantur, quarum altera alteri subiecta esse debeat, e. g.: II, 9, 7 sed est et altera (satio), cum cogit necessitas: trimestrem vocant agricolae (pro „quam — vocant)." XIII, 14 bitumen cum oleo coquito, eo quoque imas vites tangito, formicae non excedent. XII, 30, 2 si qua vina erunt duriora aut minus bona — sumito faecem boni vini et panes facito — et pondo quadrantem amphoris singulis infricato et oblinito: bonum fiet. V, 9, 19 solent etiam quamvis laetae arbores fructum non afferre: eas terebrari — convenit.

§ 61.

Verba, quae in ,,coordinatis" sententiae membris sibi respondent, Columella eodem quoque ordine collocare solet; sed frequentissime etiam „chiasmi", qui vocatur, figura, invenitur, quam praesertim rhetores usurpasse constat. [3])

a) Parallelismus, qui vocatur. Qui saepissime occurrit in duobos membris, rarius in pluribus quam duobus: I, 4, 3 aut ubertatis illecebris aut deliciarum concinnitate decipi. IV, 21, 2 loci laetitia plures, exilitas pauciores palmites desiderat. III, 10, 22 haec pluribus dicta sunt, quam exigebat ratio veritatis, minus tamen multis, quam postulabat — opinio rusticorum. VI praef. 1 cum ille puro solo gaudeat — hic graminoso, — ille fructum e terra speret, hic e pecore. VIII, 17, 5 plusque nocet putris unda, quam prodest opacitas. XI, 1, 14 nec praemium iucundius quam fructum libidinis, nec supplicium gravius quam frustrationem cupiditatis existimat. II, 7, 2 ut locis frigidis ocissime, tepidis celerius, calidis novissime seramus. II, 12, 4 lentis occatur una (opera), sarritur duabus, runcatur una, vellitur una. XI, 2 95 ut olea legatur et oleum conficiatur, ut vitis paletur et capite tenus alligetur, ut iuga vineis imponantur et capistrentur.

---

1) Cfr. Handbuch der klass. Altertumswissenschaft ed. J. Müller II. 1885 pg. 391.

2) Ceterum monendum est hoc loco, hanc simplicem loquendi rationem, quae similis est cotidianae dicendi consuetudini, non inveniri in praefationibus singulis libris praemissis; in his enim Columella artis rhetoricae praecepta secutus elocutionem maxime expolire studuit.

3) Cfr. Draeger, Synt. u. Stil des Tac. pg. 120.

b) Chiasmus: I, 9, 3 nihil in his, in illis plurimum. II, 9, 16 ordeum, quod alii distichum, Galaticum nonnulli vocant. III, 2, 6 campestria largius vinum, sed iucundius afferunt collina. III, 2, 24 raritate uvarum et acinorum exiguitate. III, 7, 3 ignorantiae tenebris — luce veritatis. IV, 3, 4 (res) labore et ubertate consumitur peritque fecunditate sua. IV, 22, 8 valles arenosae, arenosus etiam tofus. IV 29, 1 vitium inserendarum tuendarumque insitionum praecepta. V, 10, 4 minus frigoris hieme minusque aestate vaporis. VI, 2, 4 et aliquis ante et a tergo complures. VI, 37, 4 paternam formam et modestiam, fortitudinem celeritatemque avitam. VII, 12, 11 carpit et corpus et vires animosque degenerat. VIII, 15, 1 ne aut evolandi sit potestas domesticis avibus aut aquilis vel accipitribus involandi. IX praef. 1 venio ad tutelam pecudum — et apium educationem. IX, 6, 1 nec hieme rigent nec candent aestate. IX, 13, 8 radix, cuius est frutex luteus, purpureus flos. XI, 1, 25 ut magis eius vereantur severitatem, quam ut saevitiam detestentur. XII, 20, 6 quanto est vetustior, tanto melior habetur. XIII, 17, 3 pausia oleo — escae orchis (optima est).

c) Chiasmus per tria membra adhibetur: VI, 36, 2 equam — pulcherrimae formae, membris fortissimis, patientissimam laboris. VI 5, 1 mutandus est coeli status — et longinquae regiones petendae sunt atque — segregandi a sanis morbidi.

d) Chiasmus variat cum parallelismo: VI, 1, 1 aliae formae sunt Asiaticis (bubus), aliae Gallicis, Epiroticis aliae. VI, 1, 1 et habitum corporis et ingenium animi et pili colorem. VI, 24, 5 cytisus viridis et torrefactum ordeum maceratumque ervum. II, 4, 8 proscinditur duabus, una iteratur, tertiatur dodrante, in liram satum redigitur quadrante operae. VII, 6, 2 caper amplissimi corporis, cruribus crassis, plena et brevi cervice, flacidis et praegravantibus auribus.

Caput III.

De sermonis varietate.

§ 62.

Si quis de scriptoris alicuius sermone iudicaturus est, id ei erit praecipue considerandum, in quo litterarum genere ille versatus sit. Nam, ut ait Quinctilianus,[1]) sua cuique generi proposita lex, suus cuique decor est. Jam si animum attendimus ad materiam, quam Columella tractavit, tenuem et exilem eam videmus esse, et satis difficile fuisse vitare, ne iisdem verbis crebro repetitis legentium aures offen-

[1]) Inst. or. X, 2, 22.

derentur. Quamquam in hoc vitium ut inciderit Columella tantum abest, ut summam curam eum in varianda oratione posuisse facillime probandum sit. Atque etiamsi nonnullis locis eaedem vel similes voces saepius usurpantur, tamen pauci hi loci vix sunt respiciendi, si reputamus et magnitudinem operis et loquendi varietatem, quae per omnes deinceps libros cernitur.

Jam affero hos fere locos, quibus Columella ex quadam neglegentia idem vel simile quoddam verbum saepius posuit aut quibus idem sententiarum initium fecit: utatur praeceptis eorum, qui praecipiunt II, 9, 1. frequenter — frequentius — frequentius I, 2, 1. panis sine fastidio potest absumi — milium pultem non fastidiendam praebet II, 9, 19. haec res non infestatur herbis — segetes non infestantur rubigine II, 11, 5. quoniam — quoniam II, 6, 1. cf. V, 12, 4; VII, 12, 9; VII, 12, 11; VIII, 14, 6; XI, 3, 9; XII, 4, 1. vites imbres fortissime sustinent — frigora sustinent III, 2, 20. eatenus qua — eatenus qua IV, 7, 2. fieri — fit IV, 9, 1. — praecipue — praecipue VIII, 2, 4. ne obsidiis hominum aut insidiatorum animalium diripiantur VIII, 2, 4. et ideo — atque ideo VIII, 8, 8. ratio postulat — grassitudo postulavit IX, 1, 3. fontibus solum abundat IX, 1, 4 fin. — saltus arboribus abundat, IX, 1, 15 init. quae proposui — quae proposuimus IX, 4, 6. desideremus — consideremus IX, 8, 1. quippe — quippe cum IX, 9, 1. rigor (aquae) — rigor (prunae) IX, 14. 7. relinquat — relinqui XI, 1, 18. praecipue — praecipua XI, 1, 26. iacentibus — subiacens XI, 3, 62. valet explicare — plurimum valet XII, 2, 5. vitioso medicamine fructus vitiatur XII, 20, 1. cum res exegerit — cum exegerit usus XII, 46, 5. tres materias relinquas — reliquam partem amputes XIII, 5, 2. arbusculae easdem coeli partes aspiciant, quas ante conspexerunt XIII, 17, 4. Quantum mea fert opinio I, 3, 7 — ut mea fert opinio I, 3, 9. deinde cum exaruit I, 6, 13 — deinde cum exaruit I, 6, 14. quo evenit II, 4, 6 — quo evenit II, 4, 7. ipse comperi IV, 29, 15 — nos comperimus IV, 29, 16. est etiam est et VI, 17, 1. facit idem — facit et VI, 17, 7. similiter si V, 3, 3 — similiter si V, 3, 4. solent etiam — solent etiam V, 9, 16. ex quo arbore inserere voles — quam inserere voles V, 11, 3 — surculos, quos inserere voles V, 11, 4 — si pusillam arborem inserere voles V, 11, 7 — ex arbore, de qua inserere voles V, 11, 9 — cacumina, quae inserere voles V, 11, 14. dubium non est quin VI praef. 5 — nec dubium quin VI praef. 7. nemo dubitat quin VI, 3, 2 — nemo dubitat quin VI, 3, 4 — nec dubium est quin VI, 3, 5.

Apparet has repetitiones non omnes statim manifestas esse et ab eo tantum animadverti, qui dedita opera animum ad eas attendat, quibusdam tamen locis vix evitari potuisse. At quantopere Columella eiusmodi repetitiones effugere

studuerit, perspicue elucet comparatis inter se locis: Columellae I praef. 19 et Ciceronis de sen. 15, 56.

Col.	Cic.
e villis arcessebantur in senatum, ex quo qui eos evocabant viatores nominati sunt.	e villa in senatum arcessebantur, ex quo qui eos arcessebant, viatores nominati sunt.

Cum igitur ipse Cicero, quem quasi exemplar Columella multis locis secutus est, non dubitet, verbum arcessendi bis ponere scriptor noster id aspernatus variat „arcessere“ et „evocare“.

§ 63.

Transeamus igiture ad ipsam loquendi varietatem. Jam Gesnerus [1]), vir doctissimus, optime vidit, quam admirabilis verborum varietas apud Columellam exstet. Haud supervacaneum sit ipsius verba hoc loco proponere: „Ubique copiosus est et ut rura, quae coluit, laeta quadam ubertate nitens ac splendidus. Quam felicem verborum copiam habuerit, existimare licet, si synonyma quaedam illius proferamus. Quam diversimodo de caseo loquitur! Lac cogitur, conducitur, concrescit, congelatur, glaciatus est caseus; plantas translatas aut insitas coalescere dicit, convalescere, comprehendere, tenere, respondere. Plantae eaedem apud ipsum ponuntur, disseruntur, panguntur, disponuntur, deprimuntur, seruntur, differuntur, transferuntur, deponuntur, depanguntur. Sed se, quod difficile erat, superasse et ipsam naturae matris varietatem aemulatus videtur in re simplicissima et cotidiana exprimenda. Operae pretium est ipsi paulum auscultare: Agit arbor coliculum, folia, gemmas; citat virgam vitis; creat palmes materiam; dat materias, edit frondem prima germinatione ulmus; effunditur vitis in materiam frondemque; egerminant vites; eicit ex se vitem, sarmentum emicat in iugum palmes; emicat celeriter nux posita; emittunt oculi pampinos; enascuntur rami; evenit serius arundo; evomit solum herbas; exit herba; exigit palmes uvas; facit caulem cicuta; fruticat e trunco vitis; fundit vitis pampinum; gemmant palmae; germinat vitis ex singulis gemmis cumpluribus materiis cum fructu; incitatur vitis: mittere radiculas; procedit sarmentum, germen de cicatrice, e tenero nepos; prodeunt semina; procreatur palmes; profundit vites ex insito germen, profundit se supra modum numerus palmitum; progemmant palmae; progerminant, promunt se, prosiliunt vites; promunt ulmi sameram; prorepunt undique pampini; prorumpunt novelli caules; provenit palmes ex duro; pullulascit, pullulat vitis; repullescit vitis novis frondibus. Sunt

[1]) Gesner in Praef. ad Colum.

quadraginta prope formulae, cultae omnes, nitidae, rem unam eandemque mira quadam venustate signantes."

Liceat nobis alia quaedam synonyma adicere. Arandi opus his fere verbis expressit: arare II, 4, 1; inarare II, 10, 6; imporcare II, 10, 6; agros sulcare II, 2, 25; agrum vertere III, 13, 1; terram versare III, 13, 3; vervagere agros XI, 2, 8; terram subigere II, 2, 24; terram resolvere II, 4, 2; terram perfodere II, 2, 20; terram aratro moliri VI, 2, 10; terram ferro commovere XI 2, 95; agros vomere sauciare II, 2, 23; terram rescindere II, 2, 23; campos praescindere II, 4, 1; campos proscindere II, 4, 4; diffindere humum II, 4, 6; sulcum agere II, 4, 10; sulcum facere III, 13, 5; sulcum ducere II, 2, 27; sulcum dirigere III, 13, 4; sulcum effodere XIII, 4, 3; vomerem agere II, 4, 1. Similem variationem exhibet in his vocibus: planta solum amat II, 10, 3; desiderat II, 9, 1; exigit I, 9, 4; poscit II, 10, 17; deposcit IV, 8, 3; postulat II, 9, 1; requirit I, 9, 4; vult II, 9, 4; (solo) gaudet II, 9, 4; laetatur II, 9, 3. Frumentum apud ipsum: seritur II, 9, 14; seminatur II, 9, 15; obseritur II, 10, 4; conseritur II, 15, 5; terrae committitur II, 9, 18; terrae creditur II, 12, 1; terrae mandatur XI, 3, 15; semen frumenti iacitur II, 10, 5; ingeritur II, 10, 6; ponitur XI, 3, 49; spargitur II, 10, 18.

Atque ut ostendam, Columellam etiam in perparva operis sui parte diligentissime orationem mutare, hos iuvat commemorare locos: I praef. 3 et 4 oratorem seligere — magistrum consectari — requirere — advocare — adhibere — arcessere. I, 8, 1 aliquem officio praeponere — destinare — instituere — eligere — praeficere. I, 8, 20 fines oculis perlustrare — partes agri revisere atque aestimare, num quid remiserit — pecus et familiam recensere. II, 12, 1—3 tritici modii quattuor operas — occupant — desiderant — postulant — exigunt — detinent — volunt. III. 1, 7 vitem coeli statui aptare — committere — concredere — destinare. I, 6, 2 aestiva cubicula spectent meridiem aequinoctialem, sed coenationes prospectent hibernum orientem; balnearia occidenti aestivo advertantur; ambulationes meridiano aequinoctiali subiectae sint.

§ 64.

Praecipuam vero diligentiam Columella in variandas post brevia intervalla voces confert, ne scilicet eaedem quae ante occurrant: I praef. 1 coeli intemperiem — I praef. 3 intemperantiam coeli. I praef. 2 certum habeo — existimare — credere — reor. IV, 3, 3 et 4 existimo — duco — persuasum habeo — iudico. I praef. 20 opus — negotium. I, 9, 1 ministerium —

officium. XI, 2, 3 officia — negotium — opus. III, 10, 9 officia — munia. 1 praef. 29 culmen — fastigium. I praef. 30 eloquentia — facundia. I, 1, 10 fin. stipendium contulerunt — I, 1, 11 init. tributum intulerunt. I, 3, 11 et 12 agros desolare — deserere — derelinquere. I, 4, 3 pestilens ager — pestifera lues. I, 4, 9 sicut ferunt — ut affirmant. I, 5, 1 fluens unda — aqua manans. I, 5, 2 aqua pluvialis — I, 5, 3 coelestis aqua. I, 5, 4 amnis — flumen. I, 5, 5 ex ripa — a litore. I, 6, 1 dividatur — digeratur. I, 6, 7 quo conferatur instrumentum — quo ferramenta condantur. I, 6, 16 prohibere — arcere. IV, 24, 6 prohibet — arcet. I, 6, 22 arescere sinunt — patiuntur exuri. I, 8, 1 genus servorum — I, 8, 2 genus mancipiorum. I, 8, 4 illiteratus — nescius litterarum. I, 8, 13 nesciat — ignorat. I, 8, 19 nati — filii. I, 8, 19 otium — vacatio. I, 9, 4 exigunt — requirit — desiderat — postulat. II, 2, 5 minimum poscit et quod postulat. II, 1, 1 opinionem repellere — sententiam repudiare. II, 1, 3 parere — conceptum edere. II, 1, 4 fruges — fructus. II, 1, 5 eveniat — accidat. IV, 24, 21 accidit — evenit. IV, 29, 2 quid fiat — quid proveniat. II, 2, 4 siccaneis — siccis. II, 2, 18 filicis pernicies est — filix moritur — interimitur — vivacitas eius absumitur. II, 2, 21 satis erat — abunde est. II, 2, 26 stipitem — truncum. II, 2, 26 verberibus — plagae. II, 4, 3 fallitur — decipitur. II, 6, 3 appellatur — vocatur. II, 7, 2. seminantur — seramus. II, 10, 29 (septem modios) serimus — iacimus cf. II, 9, 2. II, 9, 2 novissima — ultima. II, 9, 13 albidum — candidum. II, 10, 14 acus — palea. II, 10, 35 cicera datur — praebetur. VIII, 4, 1 cibaria praebentur — dantur — obiciuntur. VIII, 14, 10 cibum opponere — obicere — praebere. XI, 2, 83 cibum praebere — dare — opponere. II, 11, 2 post hiemem — transacta hieme. II, 17, 6 pecora — pecudes. VI, 19, 1 iumenta bovesque — pecudem — quadrupes. II, 17, 7 in inferiorem partem trahit — in ima deducunt. III, 2, 9 superatur — vincitur. III, 2, 26 quod siccitates perfert — quod frigora sustinet. III, 3, 6 non provident futuro tempori — posteritati non consulunt. III, 10, 6 huic negotio delegat — huic officio applicatur. III, 12, 6 vineta (orienti) subiaciantur — advertantur — committantur — apponantur. III, 12, 5 regionem probare — praecipuam censere — laudare. IV, 17, 1 fossiones dandae — pampinationes adhibendae sunt. IV, 27, 2 plurimum refert — multum iuvat. V, 6, 6 prodeuntia cacumina — ubi prorepserint plantae. V, 6, 10 faciendi — praeparandi scrobes. V, 8, 5 gaudere — amare locum. VI praef. 4 et 5 consulenti — respondit rursusque interroganti — affirmavit — eidemque quaerenti — asseveravit. XIII, 10, 4 imbres linumque — aqua linumque. VI praef. 1 velut inimicam disciplinam — quasi contrarium propositum — tam discordantibus votis. VI, 2, 11 fame et

siti — VI, 2, 12 inedia et siti. VI, 6, 4 si nec hoc profuit — ubi ne haec medicina processit. VI, 13, 1 candente sole — VI, 13, 3 sole fervente. VI, 30, 5 vena rescinditur — VI, 30, 6 venae solvuntur. VII, 5, 3 convenit — conducit. VII, 6, 1 caprinum pecus nec rubosa versatur nec vepribus offenditur et arbusculis — maxime gaudet. VII, 10, 2 sanguinem mittere — sanguinem detrahere — venam ferire. VII, 12, 11 permittere — concedere. VIII, 5, 1 (ova) parere — edere. VIII, 17, 10 maris atrocia — pelagi violentia. IX, 9, 5 tanquam — quasi. IX, 9, 6 unius dissidentis vel duorum discordantium examinum. IX, 10, 1 spiculus — aculeus. XI, 2, 8 agros proscindere — vervagere -- arare. XI, 2, 30 dixerunt — praeceperunt — censuerunt. XI, 3, 14 dixisse — praecipiamus — loquendum est. cf. XI, 3, 19. XI, 2, 67 vidissent — animadvertissent — considerassent. XI. 3, 5 funibus — restibus — funiculi. XII, 46, 3 administari debent — facienda — usurpanda sunt. XIII, 4 2 vinea agro ponitur — sulcis committitur — scrobibus deponitur.

Non mediocrem curam scriptor noster adhibet in variandis pronominibus indefinitis, quae sunt „aliqui", „quidam", „alii", cet.: IV, 3, 1—3 plerique — quidam — nonnulli — quidam — multi — alii — nonnulli — plurimi. IV, 21, 3 policem, quem quidam custodem, alii resecem, nonnulli praesidiarium appellant. IV, 29. 10 alii — nonnulli — plurimi. VI, 4, 2 et 3 multi — quidam — quidam — alii — alii — multi — nonnulli. VIII, 6, 1 quidam — nonnulli — multi — alii. VI, 36, 3 multi — quidam — aliqui. XII, 44, 4 quidam — nonnulli — alii cf. XII, 46, 2. XII, 16, 3 quidam — alii — nonnulli — sunt qui. XII, 50, 3 plerique — aliqui — quidam. III, 7, 3 plurimi — multi — quidam — nonnulli.

§ 65.

Omnia haec, quae commemoravimus, variandae orationis genera, quippe cum sermonis suavitatem magnopere augeant, iam apud priscos et optimos scriptores inveniuntur. [1]) At cum hi scriptores nihilominus consuevissent praesertim sententiarum membra inter se iuncta et respondentia aequaliter et congruenter exprimere, inde a Livio contrarium studium magis magisque praevaluit; cuius consuetudinis Columella quoque haud pauca praebet exempla. Ita apud ipsum variant:

1) Singularis et pluralis numerus: I, 8, 2 genus mancipiorum otiis, campo, circo, theatris, aleae, popinae, lupanaribus consuetum. I, 1, 18 facultates ac voluntas impendendi. I, 1, 20 rapinis magis quam culturae student. I, 6, 18 ignes lucernamque. I, 7, 1 avarius opus exigat quam pensiones. II. 2, 13 sationibus et

---

[1]) Cfr. R. Klotz, Handbuch der lat. Stilistik pg. 265 sqq.

stercoratione. II, 9, 14 animalia — hominem. II, 10, 18 pinguibus arenis vel congesticia humo proveniunt. II, 10, 23 rapa convertuntur in napum. — napus raporum accipit speciem. II, 11, 3 et siccitas coeli et tepores. II, 14, 7 surculo et segetibus. II, 17, 1 neque suem — neque pecora maiora. III, 1, 5 nebulas pruinamque — siccitatem ventosque. III, 2, 4 pruinas et caliginem. III, 19, 1 in plano — in clivosis. III, 2, 29 nec numerum nec appellationes. III, 11, 18 alluvie et inundationibus. IV, 8, 1 frigore — caloribus. cf. VI, 3, 1 calore — frigoribus. IV, 11, 3 Vergilius et Saserna Stolonesque et Catones. IV, 14, 3 fetu et materiis onerari. IV, 24, 6 solem et pluvias. IV, 24, 16 pruinis et frigore. V, 5, 3 sive aratro sive bidentibus. V, 5, 12 et fructum et materias. V, 5, 12 crure aut cornibus boum. V, 8, 6 vapores — frigus. V, 9, 2 foeno et stramentis. VII, 7, 1 pecora morbo et languoribus macescunt. VII, 3, 7 mercaberis oves intonsas: variam canamque improbabis. VIII, 2, 5 certaminibus et pugnae. VIII, 2, 7 plumae — pennis. cf. VIII, 4, 4. VIII, 14, 4 in flumine aut piscinis. IX, 1, 1 quaestui ac reditibus. IX, 14, 14 frigore et tempestatibus, (at XI, 3, 51 frigoribus ac tempestatibus). XI, 2, 21 cum grandine et nimbis. XII, 19, 3 levi igne et tenuibus lignis. XII, 52, 4 lapide vel tegulis. XIII, 10, 4 imbres limumque. VII, 9, 6 nemora vestiuntur quercu, subere, fago, cerris, ilicibus, oleastris, termitibus, corylis pomiferisque silvestribus, ut sunt albae spinae, Graecae siliquae, juniperus, lotus, pinus, cornus, arbutus, prunus et paliurus atque achrades piri.

2) Casus: IX, 5, 2 neque ea (apis) curatorem fraudulentum tantum, sed etiam immundae segnitiae perosa est. III, 13, 5 quidam dupondio et dodrante altum sulcum, latum pedum quinque faciunt. V, 6, 18 scrobis altus levi terra duorum pedum, gravi dupondio et dodrante. IV, 3, 5 bene positam vineam bonique generis et bono cultore gratiam reddidise. III, 1, 4 refert, cuius generis aut quo habitu vitem colere censeas. VI, 21, 2 vaccae probantur altissimae formae longaeque, maximis uteris, frontibus latissimis. VI, 36, 2 equam convenit — pulcherrimae formae, membris fortibus, patientissimam laboris eligere. VI, 37, 6 asinus sit amplissimi corporis, cervice valida, robustis ac latis costis, — coloris nigri vel maculosi. cfr. VII, 3, 3; VII, 6, 2; VII, 9, 1; VIII, 2, 7; VIII, 2, 8; IX, 10, 1.

3) Casus aliquis et praepositio: II, 10, 10 nocebitur ei roribus aliisve ex causis. I, 2, 1 naturam soli sive in frondibus et herbis sive iam maturis frugibus contempletur. II, 14, 3 per hiemem et vere. II, 17, 4 aestate — per autumnum. cfr. IV, 23, 2; V, 9, 6; VIII, 6, 1; VIII, 9, 1. XII, 16, 1 deinde aheno vel in alta nova fictili ampla — lixiviam — calefieri convenit. III, 13, 2 per tres longitudinis pedes perque duos in latitudinem. cf. V. 5, 2 scrobs in longitudinem

altitudinemque defossus tripedaneus abunde est, latitudine tamen bipedanea. V, 8, 4 olea maior ad escam, minor oleo est aptior. (At confer ibidem: Regia, quae potius escae quam oleo est idonea). VI, 2, 6 ventri et sub feminam manum subicere. VII, 12, 2 unum genus adversus hominum insidias eligitur, at alterum propellendis iniuriis hominum ac ferarum. VIII, 11, 3 cuius tribus lateribus porticus applicantur et in quarto duae cellae.

4) Praepositiones: III, 10, 18 quod non tantum de [1]) seminibus leguminum, sed in tota agricolationis ratione dictum esse intellegendum est. V, 6, 10 rami ad orientem et in occidentem dirigantur. V, 8, 4 orchis et radius melius ad escam quam in liquorem stringitur. XII, 54, 2 olivam in regulas vel in novo fisco adicito.

5) Praepositio „cum" atque particula „et": 1 praef. 12 cum istud opus non solum scientiam, sed etiam viridem aetatem cum robore corporis desideret. 1 praef. 30 Brutum aut Caelium Pollionemque cum Messala et Calvo. I, 1, 8 Peripatetici magister ac discipulus Aristoteles cum Theophrasto.

6) Adiectivum aliquod et genetivus vel vox praepositione expressa: VI, 3, 11 hiemis frigoribus aut aestivis solibus. VII, 3, 21 ulmeis vel ex fraxino frondibus.

7) Tempora: I, 5, 2 haec (sc. unda) si deficiet et spes — coëgerit. II, 18, 1 alterum omnem succum si amisit, stramenti vicem obtinet, alterum si nimium retinuerit, putrescit. IV, 21, 3 sin vitis procera fuerit locumque idoneum obtinebit. VI, 7, 4 quod si neque ventris restiterit citata proluvies — cibosque respuet. VI, 8, 2 si neque ranae fuerint neque alvus citata et nihilominus cibos non appetet. I, 8, 7 semitas fieri ne patiatur neve hospitem — receperit. VII, 7, 4 cum effetae loca genitalia tumebunt aut secundae non responderint. V, 1, 2 ut boni venatoris est — capere nec cuiquam culpae fuit — cepisse. III, 5, 2 sive necessitas postulaverit — sentient — sive ager conserendus est — coalescunt. IX, 8, 3 quod si non contingit ac neccesse habuerimus. XII, 38, 3 cum deinde bis mustum deferbuerit et bis curatum est. XII, 54, 1 si erit — si nec haec fuerit. XIII, 7, 5 si vitis materiam habebit et diducenda erit — neque potuerit. cf. VI, 30, 3.

8) Modi: I, 8, 1 promoneo, ne villicum ex eo genere servorum, qui corpore placuerunt, instituamus, ne ex eo quidem ordine, qui artes exercuerit. II, 15, 6 illic convertitur permisceaturque. VI, 24, 4 non dubium est, ubi pabuli sit laetitia, posse omnibus annis partum educari; at ubi penuria est, alternis submitti.

---

[1]) Codices deteriores omittunt „de".

IX, 5, 2 aeque dedignatur (apis), si minus pure habita est ac si tractetur fraudulenter. XII, 52, 22 si sit profluens aqua, — si nec flumen est. III, 10, 17 ex ea matre subolem propagare, quae geminos enixa sit, et fetus earum pecudum quae trigemino partu commendantur.

9) Personae verbi et numerus: II, 9, 2 mensuram variat aut loci aut temporis aut coeli condicio; loci, cum frumentum seritur, temporis, cum frumenta iacimus. II, 10, 16 quae repleta cum gypsata sunt quandoque in usus prompserimus. I, 6, 21 utrumque (sterquilinium) pavitum solum habeat, ne humorem transmittant.

10) Imperativus praesentis et futuri aut imperativus et futurum: V, 10, 7 nota — admoveto — curato. XII, 33, 1 scillam legito eamque secato taleolasque suspende. XII, 48, 4 contere et misce, tum adicito et obturato. V, 11, 3 exsecato dabisque operam.

11) Activum et passivum: V, 9, 3 oportebit talearum capita oblinire et ita — immergeri. IX, 13, 7 galbanum incendi convenit passoque fessas sustinere. XI, 3, 5 semina — legi oportet et — immiscere.

12) Enuntiatum relativum et condicionale: II, 15, 2 nec ignorare colonos oportet, sicuti refrigescere agrum, qui non stercoretur, ita peruri, si nimium stercoretur.

13) Infinitivus et enuntiatum condicionale: VI, 30, 1 saepe plus prodest, pressa manu subegisse terga quam si largissime cibos praebeas.

14) Coniunctiones „cum" et „ut": VI, 35, 1 eius vesaniae signa sunt, cum equae concursant, subinde ut requirere — aliquid videantur.

15) Genetivus qualitatis et enuntiatum consecutivum: VII, 9, 2 Scrofae probantur sues longissimi status et ut sint — similes descriptis verribus.

16) Genetivus gerundii et infinitivus: XI, 1, 11 quae probabilis causa est obmutescendi aut in socordiam compelli?

17) Adiectivum et enuntiatum relativum et consecutivum: VII, 6, 9 magister pecoris alacer atque audax esse debet, et qui per rupes facile vadat et non sequatur, sed plerumque ut antecedat gregem.

18) Adiectivum et adverbium: VII, 4, 5 nec tamen ea minus sedulam curam foris, sed maiorem domesticam postulat. VII, 5, 4 nam (grex) particulatim facilius quam universus convalescit.

19) Adiectivum et enuntiatum relativum et ablativus atque genetivus qualitatis: VII, 9, 1 verres probandi sunt totius quidem corporis amplitudine eximii, sed qui quadrati potius aut rotundi quam longi sunt, ventre promisso — amplae et glandulosae cervicis.

20) Superlativus gradus et positivus, quam variationem Columella valde amat:[1]) I, 3, 2 quamvis feracissimo pinguique agro. 1 praef. 24 varias dissimillimasque terrarum species pernoscere. 1 praef. 33 nec subtilissima nec rursus pingui Minerva res administrare. I, 9, 1 magistros praeponere sedulos et frugalissimos. II, 9, 4 pinguissimo agro aut macro. II, 15, 4 non solum segetes laetas, verum etiam pulcherrimas vineas. III, 1, 8 solum nec exile nec laetissimum. V, 5, 12 riguis aut pinguissimis locis. VII, 9, 2 quam durissimae densaeque et nigrae setae grex. XI, 3, 51 cucumis tener et pinguissimus fit. XIII, 16, 4 certa et robustissima flagella.

21) Alio variandae orationis genere utitur Columella, cum post parva spatia eorundem verborum collocationem permutat: II, 2, 5 labore atque impensa — impensam laboremque. VI, 6, 4 aquae calidae — calidae aquae. VI, 12, 2 sale atque aceto — aceto et sale. VIII, 3, 9 aquae vel ciborum — cibos et aquam. VIII, 14, 6 supponuntur gallinis ova plurima quinque, paucissima tres — anseribus paucissima septem, plurima quindecim. XI, 2, 43 Auster aut Euronotus — Euronotus vel Auster. XII, 2, 4 dispositio atque ordo — XII, 2, 5 ordo ac dispositio. XII, 10, 2 fin. pruna onychina et pruna silvestria — XII, 10, 3 init. pruna silvestria et pruna onychina. XII, 52, 6 canalis et solea – solea et canalis. XIII, 8, 4 aceto acri — XIII, 8, 5 acri aceto.

22) Adiungimus variationem particularum copulativarum. Hic quoque inde a Livio variandi studium praevalere coepit,[2]) cum veteres auctores aequalitati magis studuissent. Columella quamvis haud paucis locis aequalitatem servaverit — ita „et“ ponitur bis: IX, 14, 20; XI, 2, 66; XI, 3, 39; XI, 3, 62; XII, 3, 9; III, 11, 6; V, 10, 14; I, 3, 3; II, 7, 2; III, 11, 5; II, 1, 7; VI, 14, 1; ter: I, 1, 1; VI, 1, 1; VI, 14, 5; XII, 30, 2; XII, 44, 5; quater: V, 1, 4; quinquies: XII, 7, 2; XII, 3, 5; novies: XII, 7, 1 — tamen multo magis variandi studio indulsit. Variant enim

a) in sententiarum membris inter se respondentibus: ac — et: 1 praef. 15 in circis potius ac theatris quam in segetibus et vinetis. I, 1, 18 non assiduus labor et experientia villici, non facultates ac voluntas impendendi.

---

[1]) Primum ac certum exemplum huius coniunctionis, in qua superlativus fere idem significare videtur ac positivus, apud Velleium (2, 69 acri atque prosperrimo bello) exstare Woefflinus (Lat. et rom. Compar. pg. 61) demonstrat. Sed Krollius ostendit, (Kroll, das afrikanische Latein. Rheln. Mus. N. F. 1897 p. 586) iam Ciceronem dixisse de nat. deor. I, 21 de re obscura atque difficillima; de nat. deor. III, 27 recte et verissime. Scriptores, qui Columellae aetate floruerunt, hunc usum videntur non admisisse.

[2]) Cfr. Draeger H. S. II pg. 63.

b) in membris coniunctis: que — et (saepissime) e. g. II, 9, 3 densa cretosaque et uliginosa humus. V, 5, 14 opacis locis humidisque et frigidis. V, 11, 8 arbores, quae humidum succosumque et validum librum habent. atque — que: IV, 30, 2 salices viminales atque arundineta vulgaresque silvae. que — ac XI, 1, 27 cibo quietique ac somno. cf. VI, 29, 2; VII, 5, 22. et — atque: V, 10, 19 sorbi quoque et armeniaci atque persici non minima est gratia. cf. VI praef. 6; et saepius. XI, 2, 15 locis maritimis et calidis ac siccis. et — et — que: VI, 29, 2 duris ungulis et altis et concavis rotundisque. cf. II, 9, 8; XI, 2, 19. et — et — que — et: VII, 12, 1 et villam et fructus familiamque et pecora. et — que — et: II, 9, 3 frumentum campo patente et ad solem prono apricoque et soluto laetatur. I, 2, 3 prata et arva salictaque et arundineta. IV, 11, 1 Vergilius et Saserna Stolonesque et Catones. que — et — atque: VII, 6, 2 nigro densoque et nitido atque longissimo pilo. et — que — ac IX, 10, 1 apes pulchri coloris et nitidi levesque ac sine pilo. atque — et — et: XII, 8, 3 semina coriandri atque anethi et thymi et apii. que — et — que: I, 5, 6 instrumentum rusticum suppellectilemque et inconditos conditosque fructus. atque — que — et: III, 1, 3 gracili atque pingui terra siccaque et uliginosa. et — et — atque — que: XI, 2, 26 cerasi et tuberes et armeniacae atque amygdalae ceteraeque arbores. atque — que — nec minus: VII, 6, 1: arbutus atque alaternus cytisusque agrestis nec minus ilignei querneique frutices.

23) Item Columella variat particulas disiunctivas: vel — aut: II, 2, 11 super calcatis cupressinis vel pineis aut aliis frondibus. III, 12, 1 terram raram vel densam, levem aut gravem. IV, 8, 3 aliquid fimi vel columbini stercoris aut veteris urinae. IV, 13, 2 genista vel juncus aut ulva. VI, 16, 1 saepe vel gravitate longi laboris vel in proscindendo aut duriori solo aut obviae radici obluctatus convellit armos. (saepius). aut — ve: II, 8, 3 imbribus aut gelicidiis pruinisve. III, 20, 6 propter similitudinem coloris aut trunci flagellorumve. IX, 1, 7 oryx aut aper aliusve quis ferus. IX, 7, 1 lacertis aut anguibus aliisve noxiis animalibus. IX, 9, 6 aut mulso pastove aut aliquo liquore. XII, 31 serpens aut mus sorexve. aut — vel — ve: VII, 4, 2 aridam frondem aut siccam vel viridem medicam cytisumve.

24) Porro variant particulae copulativae et disiunctivae: vel — ac — aut 1 praef. 32 sagacitem Democriti vel Pythagorae — Metonis providentiam vel Eudoxi — doctrinam Chironis ac Melampodis — Triptolemi aut Aristei prudentiam. atque — aut: II, 8, 3 locis uliginosis atque exilibus aut frigidis aut etiam opacis. que — aut: III, 21, 5 vindemia, quae plerumque populationibus volucrum pluviisque

aut ventis lacessita dilabitur. VIII, 14, 9 ne vipera felesque aut etiam mustella possit aspirare. ve — et: III, 21, 11 cacumina ficorum pirorumve et malorum.

25) Postremo moneo, Columellam crebro componere particulas copulativas (vel disiunctivas) et asyndeton: XIII, 20, 2 ut a superiore et sicciore et exiliore in planiorem, humiliorem, pinguiorem agrum transferas. XII, 7, 2 si vitis alba, ruscus et tamnum et asparagus, lapsana et pastinaca et nepeta et battis in alveos componuntur. I, 3, 6 Achaios dico et Hiberos, Albanos quoque nec minus Siculos et Pelasgos, Aborigenes, Arcadas. I, 8, 9 quae cuncta prohibentur pellibus manicatis, centonibus confectis vel sagis cucullis. VI, 15, 2 suffragines, coronae ac discrimen ipsum.

Caput IV.

De sermonis abundantia et brevitate.

1) De sermonis abundantia.

Columellam, cuius munus esset docere, simplici et perspicuo dicendi genere uti maxime studuisse iam supra monuimus; quare ei ne tumor quidem ille proprius est, quo verba nimis cumulantur. Sane abundantia quaedam verborum haud raro invenitur, ea tamen, quam etiam optimi scriptores admittunt, quippe quae orationis laetitiam valde augeat; veri autem pleonasmi, qui vocantur, si operis amplitudinem respicias, raro occurrunt.

§ 65.

Primum locum teneat abundantia per synonymorum copulationem effecta.

a) Huc spectant ex substantivorum genere: aes et argentum VIII, 8, 10. amicus familiarisque I, 8, 7. arma ac tela XII, 3. 1. caput et columen III, 4, 3. cava et latebrae I, 6, 13. cultus et agitationes agrorum II, 1, 4. dispositio atque ordo XII, 2, 4. familiaris focus mensaque VIII, 1, 2. fluvii rivique VI, 22, 1. ignis et incendium II, 18, 1. labor et opus VI, 22, 1. lascivia et alacritas VI, 29, 1. lis disputatioque III, 13, 11. lusus ac lascivia VII, 12, 12. mater ac parens III, 10, 11. moderatio atque temperamentum XII, 6, 1. modus mensuraque I, 3, 8. tota moles corporis totumque pondus II, 2, 23. morbus ac pestis VII, 5, 19. neglegentia desidiave XII, 3, 5. otium et inertia 1 praef. 29. primores atque optimates XII, 3, 10. quies ac somnus I, 8, 11. regio et declinatio mundi III, 1, 3. pulvis et cinis VIII, 4, 4. secta lexque II, 2, 21. semitae limitesque I, 8, 7. societas atque coniunctio VI praef. 2. ultor ac vindex VII, 12, 1. usus et experientia I, 1, 16. vigor et alacritas animi XI, 1, 17.

b) Ex adiectivorum et adverbiorum genere notanda sunt: alacer atque audax VII, 6, 9. clementer et molliter II, 2, 1. crudum solum immotumque II, 2, 25. cunctanter et languide XI, 1, 17. eleganter et scite II, 1, 2. fissus rimosusque I, 5, 10. corpora fluxa et resoluta 1 praef. 17. foris et in aperto XII praef. 6. fortiter et perseveranter VII, 12, 7. fructuosus atque utilis I, 4, 2. laetius atque hilarius IV, 27, 1. numerus impar observatur nec semper idem VIII, 5, 8. genus liberale et ingenuum 1 praef. 10. medius temperatusque I, 5, 8. mitis ac temperatus III, 20, 1. (qualitates) inter se mixtae vicibus et alternatae II, 2, 2. modice et sine festinatione VII, 5, 13. mutila atque imperfecta universitas IX, 2, 2. natalis et ingenita sterilitas III, 7, 2. naviter et sine ullis concessationibus XI, 1, 16. nuper ac modo III, 9, 3. perpensus exploratusque 1 praef. 29. pigre ac segniter VII, 5, 3. placida et serena regio III, 1, 7. placide ac lente VII, 6, 9. campus ad solem pronus apricusque II, 9, 3. retracta et resupina capita II, 2, 23. socors et somniculosus I, 8, 2. pratum solidius ac durius II, 17, 7. strenue atque industrie I, 8, 18. tener atque infirmus V, 5, 8. tardus atque iners VI, 28. non turbidus nec procellosus IV, 18, 7. tutus ac munitus I, 8, 16. unum ac solum I, 8, 14. varius dissimilisque 1 praef. 24. varius et diversus VI, 1, 2. vicinus atque coniunctus V, 1, 2. praeceps et praerupta positio IV, 22, 8. mora segnis et umbratilis I, 2, 1.

c) Ex verbis cumulationem conficientibus commemoro: agitare et extendere VII, 5, 3. cancellare atque irretire IV, 2, 2. concutere atque concitare VI, 37, 20. congerere et componere III, 11, 3. considerare et animadvertere XII, 3, 10. contrahere et congerere III, 14, 8. curare atque observare VII, 11, 3. digerere et disponere III, 20, 4. disponere et dissipare II, 10, 6. eruere et submovere III, 13, 6. everrere et purgare VII, 4, 5. exercere et colere (rus) VIII, 1, 1. exhaurire atque attenuare V, 6, 26. exquirere atque explorare VI, 36, 1. figurare et fingere IX, 15, 7. ingerere et inoccare II, 8, 4. persequi atque exigere XII, 3, 6. possidere et habere VIII, 8, 10. proscindere et subigere II, 17, 4. protegere tutarique III, 10, 11. provocare et elicere III, 15, 5. refugere et reformidare III, 3, 1. requiescere et refici IV, 27, 6. requirere et desiderare VI, 35, 1. resecare et amputare VI, 32, 3. retinere et retardare II, 2, 26. retractare ac recogitare 1 praef. 13. (agrum) resolvere et subigere II, 2, 24. revirescere aut repubescere II, 1, 4. siccare atque detegere I, 5, 8. vastare et populari I, 3, 13. vertere et subigere III, 13, 1. vestire et protegere V, 5, 19. tam vindicare quam animadvertere I, 8, 18.

§ 67.

Proximum locum obtineat „repetitionis" figura, qua Columella persaepe usus est.[1]) Haec affero exempla repetitionis:

a) Particularum: I, 1, 3 aestimet, an universa — respondeant, an aliqua dissonent. cfr. I, 8, 16. VI, 30, 2 ad praesepia, ad aquam, ad exercitationem pecus ducere. Sic XII, 1, 3 „ab" quinquies positum est. IV, 25, 2 cum — desecare quid debet, cultro utitur, cum retrahere, sinu; cum allevare, scalpro; cum incavare, rostro; cum ictu caedere, securi; cum — expurgare, mucrone. III, 8, 4 „iam" bis legitur. III, 6, 9 considerare, ne vitis — ancipitem habeat exitum, ne difficulter acinus ingrandescat, ne — praecoquem — fructum afferat. cf. I, 8, 13 neve — neve. I, 1, 18 „non" bis exstat. cf. I, 5, 1; III, 1, 8; XI, 1, 23. — I, 8, 20 „num" quater repetitur. VIII, 16, 2 inde — inde. VII, 6, 9 „per" ter positum est. III, 2, 26 vitis est laudabilis, quod siccitates perfert, quod frigora sustinet, quod vinum eius in vetustatem diffunditur; quod sola macerrimum quoque solum commendat. Ita „quod" ter repetitum invenitur: XIII, 28, 1; septies II, 10, 25. — II, 15, 1 „si" bis; VI, 30, 9; V, 6, 26 ter; III, 6, 2; III, 14, 1; VII, 5, 5 quater; VI, 29, 1 sexies repetitur. IX, 10, 1 sine pilo, sine spiculo. IV, 18, 7 „ubi" ter exstat; III, 9, 4 „unde" bis; I, 8, 16 (item II, 8, 11) „ut" bis; V, 7, 3 ter; cf. I, 8, 17; XI, 29, 5; XIII, 30, 1; simili ratione repetitum invenies „ut" quater: III, 2, 2; octies III, 2, 27.

b) Pronominum: III, 10, 11 hac lege pecudes et virgulta progenuit, hac vitium genera figuravit. I, 8, 18 qui — qui. 1 praef. 4 et V, 9, 15 „qui" ter ita repetitur. XII, 1, 3 cura eam subeat, quid meminisse, quid in posterum prospicere debeat.[2]) cf. 1praef. 23; I, 1, 3. 1 praef. 25 „quid" sexies repetitur; VII, 12, 1 „quis" quinquies. IV, 25, 1 quae — quae — quae — quae — cuius. VI praef. 7 quod — quod — quod — cuius. cf. II, 14, 1. „aliud" repetitur bis: 1 praef. 24. „tot" bis II, 2, 15; quater 1 praef. 27. „quaedam" bis II, 14, 7. „qualis" bis III, 2, 19. III, 10, 7 nihil curiose, nihil religiose administrat. cf. III, 10, 9; XII praef. 8. III, 2, 21 nullum genus vitium conserendum esse nisi fama, nullum diutius conservandum nisi experimento probatum.

c) Nominum: 1 praef, 36 porculatoris vero et subulci diversa possessio, diversae pastiones. II, 6, 3 far, quod appellatur Clusinum — far, quod vocatur vennuculum. VII, 4, 5 saepius — saepius. II, 2, 3 plura — plura.

---

[1]) Quae „repetitionis" exempla in decimo libro occurrant, vide Schroeter, De Columella, Vergilii imitatore. Jenae 1882. pg. 9.

[2]) In pronominis „quid" repetitione Columella videtur imitatus esse Vergilium, Georg. I, 54; „Et quid quaeque ferat regio et quid quaeque recuset," quem locum ipse laudat: I, 4, 4.

d) Verborum: II, 14, 6 licet quamlibet frondem, licet e vepribus — colligere, licet silicem decidere, licet cinerem caenumque in unum congerere. VI, 27, 1 est generosa materies, — est mularis — est et vulgaris.

§ 68.

Pleonasmi, qui vocantur, apud Columellam hi fere inveniuntur: I, 5, 6 praestat a mari longo potius intervallo quam brevi refugisse. VI, 2, 11 utilius est fame potius et siti cubitorem bovem emendare. VIII, 5, 5 novellae (gallinae) magis edendis quam excludendis ovis utiliores sunt.[1]) III, 8, 4 largis abundare frumentis. cf. IX, 1, 4 crebris fontibus abundat solum. I, 1, 18 primordium auspicari. IV, 21, 2 admodum nimia ubertas. IV, 23, 1 mitis ac temperata coeli clementia. IV, 32, 4 de integro refodi. IX, 16, 1 iterum similiter de integro coquitur. V, 9, 3 taleae rubica notentur, ut sic, quemadmodum in arbore steterat ramus, ita deponatur. VI, 24, 3 unum marem sufficere abunde est. IX, 3, 3 gens universa totius alvei consumitur. XII, 45, 2 deorsum versus cf. IV, 20, 3. III, 18, 2 sursum versus. XI, 2, 80 vetus est agricolarum proverbium, maturam sationem saepe decipere solere.

Saepius Columella adverbiis quoque abundanter usus est, veluti: mox deinde 1 praef. 16; II, 1, 5; III, 12, 5; VII, 3, 18; IX, 15, 13. tum deinde I, 6, 13; II, 17, 2; III, 13, 3; IV, 24, 6; IX, 5, 6; IX, 11, 4. cum et — tum et: II, 9, 12 cum et alia tum et hoc praeclare disseruit. cf. I, 8, 18. cum et — tum praecipue II, 1, 1. tum denique III, 2, 1. post deinde V, 6, 12. post haec deinde III, 4, 3. Et — quoque; XII praef. 10 quoniam et villici quoque successerunt in locum dominorum. II, 9, 19 panicum pinsitum — sed et milium quoque pultem non fastidiendam praebet.

De figura „suus sibi“ vide, quae disputavimus pag. 8.

Pleonasmum quoque olet coniunctio „nisi si“, quae sermonis vulgaris propria est et a Cicerone nisi in epistulis et in primis scriptis non adhibetur [2]). Apud Columellam vero frequentissima est, veluti: I, 7, 1; II, 4, 4; II, 6, 3; II, 10, 17; III, 9, 3; IV, 6, 3; IV, 10, 1; XI, 2, 95; XIII, 5, 3.

2) De sermonis brevitate.

Columella etiamsi haud paucis locis dicendi brevitati indulsit, tamen in hoc studio non eo usque processit, ut orationis perspicuitas nimis minueretur, sed,

---

[1]) Eiusmodi pleonasmum longissime abhorrere ab elegantium scriptorum consuetudine Woelfflinus docet (Lat. et. rom. Compar. pg. 46.)

[2]) Cfr. Antibarbarus II pg. 136.

quae omittuntur verba aut membra sententiarum, fere omnia haud difficulter sunt supplenda.

§ 69.

Primum brevitatis studium apparet adhibita „dissolutione“, quam Graeci asyndeton vocant. In universum praemittendum est illud, dissolutionis usum apud Columellam esse frequentissimum. Praecipue enim ea usurpatur in enumerandis singulis rebus, ubi coniunctiones copulativae multo rarius inveniuntur; sed cum scriptor noster nisi ad afferenda tria vel plura sententiae membra non soleat uti hac figura, ab optimorum usu non recedit. Jam propono nonnulla exempla: I, 1, 1 haec sibi advocanda: prudentiam rei, facultatem impendendi, voluntatem agendi. 1 praef. 31 Bryaxim, Lysippum, Praxitelem, Polycletum. I, 8, 2 genus id mancipiorum otiis, campo, circo, theatris, aleae, popinae, lupanaribus consuetum. VI, 20 tauros membris amplissimis, moribus placidis, media aetate probandos censeo.[1] — II, 2, 1 genera terreni tria, campestre, collinum, montanum. IV, 3, 4 (vinea) res est tenera, infirma, iniuriae maxime impatiens. VII, 9, 7 sit vigilans, impiger, industrius, navus. XII, 27 vinum erit suave, firmum, corpori salubre. IV, 24, 7 sarmenta lata, vetera, male nata, contorta, deorsum spectantia recidito.

Haud raro integrae sententiae conseruntur omissis particulis; praesertim ubi contraria significant. Nonnullos locos proferre satis est: II, 11, 8 id prima sarritione fecisse proderit, secunda oberit. VII, 8, 4 caseus — tabulis componitur, aspergitur tritis salibus. V, 6, 26 ut veteres — palmites — recidantur, novi — submittantur. V, 6, 26 quoniam ultimus palmes — fructum affert, proximus — vitem exhaurit. VII, 3, 6 femina iuvenis habetur quinquennis, fatiscit post annum septimum. VII, 3, 7 mercaberis oves intonsas, variam canamque improbabis. V, 2, 1 tanquam est locus centum pedum: ducimus centies centenos: fiunt decem milia. cf. V, 2, 7.

§ 70.

Praecipue vero brevitatis studium cernitur in „detractionis“ vel „ellipsis“ usu. Omittuntur igitur:

a) Substantiva[1]), veluti: XI, 3, 56 cepina (sc. area). VIII, 14, 1 nantium (sc. avium). VI, 24, 3 et 4 forda (sc. bos). VI, 29, 4 molares superiores (sc. dentes). VI, 27, 9 admissarius (sc. equus). II, 8, 5 adoreum (sc. far). VI, 9, 1 salivati (sc. medicaminis). VI, 12, 3 spartea (sc. solea). IX, 1, 2 Signino (sc. opere).

---

1) Cfr. II, 21, 2; III, 2, 24; V, 8, 3; VI, 9, 2; VII, 6, 2; XI, 3, 14; XII, 7, 5; XII, 47, 5; XIII, 3, 1. — V, 6, 1; V, 10, 9; VII, 6, 9; XIII, 20, 1.

2) Hoc „detractionis“ genus sermonis cotidiani neglegentiae convenit. cf. Weise, Charakteristik der lat. Sprache p. 114.

XII, 20, 2 defrutarium (sc. vas). I, 6, 9 fenilia (sc. horrea). lanigerae (sc. oves) VII, 6, 5.

Saepius substantivum, quod est „aqua", supplendum est apud adiectivum „calida" (cf. VI, 15, 2 multa calida) et „stabulum" apud „aviarium", „bubile", „caprile", „columbarium", „gallinarium", „suile". [1])

b) Satis frequenter desideratur pronomen demonstrativum: I, 4, 8 ut et libentius pater familias rus veniat et degat in eo iucundius, utique vero si etiam matrona comitabitur. I, 7, 6 nam et ipsi diripiunt et ab aliis furibus non custodiunt (sc. rem domini). I, 8, 14 nam cum multum prodest perite quid facere, tum plus obest perperam fecisse. II, 2, 26 nonnunquam tamen admoneat flagello (sc. iuvencum). II, 3, 2 paulatim praebere (sc. cibum) convenit — ad aquam duci (sc. boves) oportet. II, 4, 6 medium temperamentum sequamur in arandis agris, — quippe nimius humor limosos lutososque (sc. agros) reddit. I, 1, 18 cui magis cordi fuerit urbanum domicilium, rustico praedio non erit opus. VI, 2, 5 si quieti boves erunt — licebit producere. [2])

In sententiis accusativo cum infinitivo comprehensis saepius a Columella omitti accusativum pronominis demonstrativi iam supra ostendimus. [3])

Pronomen personale omissum est: V, 12, 5 hactenus de arboribus praecepisse abunde est redditaro (sc. mihi) pecoris curam et remedia sequenti volumine. VII, 1, 1 de minore pecore dicturis (sc. nobis) principium tenebit — asellus.

c) Praesens verbi „sum" saepissime apud Columellam omittitur non solum in enuntiatis primariis, sed etiam in secundariis; item infinitivus „esse" (at non „fuisse") post adiectiva et participia plerumque est supplendus. Pauca promo exempla: II, 6, 2 tertium (genus) erit trimestre, cuius usus agricolis gratissimus. 1 praef. 2 quas causas — procul a veritate abesse certum habeo, quod neque fas existimare — neque prudentis credere. II, 14, 7 haec, ubi viduus pecudibus ager. I, 2, 5 colles alii vacui arboribus (sc. sint). VI, 20 tauros — media aetate probandos censeo.

d) Nonnunquam ex verbo antecedente vel subsequente aut ex totius sententiae notione apta vox supplenda est, ut ex his exemplis intellegitur: V, 9, 13 omnis soboles — quotannis exstirpanda est ac tertio quoque fimo pabulanda sunt oleae. (Ex „quotannis" supplendum est: „anno"). XIII, 4, 3 curandum est,

[1]) Huc pertinent etiam ea, quae supra de adiectivis substantivorum loco positis disputavimus.

[2]) Cfr. VI, 35, 1; II, 9, 12; II, 10, 2; II, 17, 6; VII, 5, 6; VIII, 11, 16; XII, praef. 5; XII, 47, 1; XIII, 4, 6.

[3]) Cfr. pag. 28.

ut locis aridis et clivosis altius vites deponantur, quam si humidis et planis (sc. deponuntur). XIII, 30, 2 rosam — disponi convenit per idem tempus, quo et viola (sc. disponitur). IV, 27, 2 idemque vinitor, qui ante ferro (sc. decussit), nunc manu decutiet. II, 14, 7 haec (suppl. „fieri convenit"), ubi viduus pecudibus ager. VI, 8, 2 sed haec (suppl. „proderit facere"), si solum fastidium est. cf. III, 19, 1 sed haec in plano. III, 21, 11 hactenus de positione vinearum. III, 10, 22 haec forsitan pluribus dicta sunt, quam exigebat ratio veritatis, minus tamen multis, quam — postulabat — opinio rusticorum. — Durior haec dicendi brevitas mihi videtur esse: 1 praef. 12 nunc et ipsi praedia nostra colere dedignamur et nullius momenti ducimus peritissimum quemque villicum facere: vel si nescium, certe vigoris experrecti.

§ 71.

Brevitatis studium ex eo quoque intellegendum est, quod verba nonnulla ita usurpantur, ut amplior iis subiecta notio sit: XII, 2, 1 ea loca qualia esse debeant — in primo volumine, cum villam constitueremus (= cum de villa constituenda disputaremus), iam dicta sunt. II, 1, 4 adduci (= adduci in eam opinionem). VI, 7, 2 alvus (= profusio alvi vel alvus citata). I, 8, 5 liber (= liber rationis). XII praef. 7 Cicero, qui eum (oeconomicum) Latinae consuetudini (= Latinae dicendi consuetudini) tradidit.

Ad extremum commemoremus Columellam brevitatem persequentem saepius participium futuri activi adhibuisse pro enuntiato secundario: I, 1, 15 hos in consilium advocato, nec tamen sic mente dispositus, velut summam totius rei sententiis eorum consecuturus. I, 3, 8 ut non solum aliud acturis, sed et agrum paraturis dictum intellegatur. cfr. I, 2, 2; II, 21, 6; IV, 1, 2; IV, 33, 6.

Caput V.

De colore sermonis Columelliani.

Res a Columella tractatae cum vix tales essent, ut scriptor specioso sermone uti posset, tamen ea arte libros suos composuit, ut materiae vilitatem dicendi genere satis compensaret. Praecipue praefatiunculae singulis libris praemissae laetissimo orationis genere excellunt, sed ne aliis quidem partibus flos deest atque color; materiam enim sibi propositam Columella summa cum varietate depingere studuit,[1]) nonnunquam poëtarum dicta proverbiaque popularia inseruit,[2]) praesertim

---

[1]) Vide ea, quae supra (§ 62 sqq.) de sermonis varietate disputavimus.
[2]) Cfr, e. g. I, 3, 5; II, 2, 7; X, praef. 4.

adhibitis poëticis et rhetoricis artibus orationem exornavit. Huc cadit, quod saepissime usus est figuris repetitionis,[1]) interrogationis, allitterationis, litotis, translationis, personificationis.

§ 72.

De interrogatione.

Multis locis, utique in praefationibus, Columella, ut orationem alacriorem et laetiorem efficeret, interrogationis figura usus est. Satis erit pauca proponere exempla: 1 praef. 8 an bellum perosis, maris et negotiationis alea sit optabilior —? an feneratio probabilior sit, etiam his invisa, quibus succurrere videtur? cf. 1 praef. 9. 1 praef. 27 quis tanti studii fuit, ut — nosset? I, 3, 5 quis enim dubitet, eam maxime probatam haberi, sine qua nemo — vitam prorogat? III, 10, 6 quis enim omnino — praecepit ea, quae paulo ante retulimus? Immo quis non imprudentissimum quemque — huic negotio delegat? VII, 12, 1 canis falso dicitur mutus custos. nam quis hominum clarius aut tanta vociferatione bestiam vel furem praedicat quam iste latratu? quis famulus amantior domini? quis fidelior comes? quis custos incorruptior? quis excubitor inveniri potest vigilantior? quis denique ultor aut vindex constantior? XI, 1, 12 quis ergo, inquis, docebit futurum villicum, si nullus professor est?

§ 73.

De allitteratione.

Allitterationis, quae dicitur, usum in prisca Romanorum poësi frequentissimum fuisse constat;[2]) sed ne prosae quidem orationi hunc sermonis ornatum deesse Woelfflinus[3]) satis dilucide ostendit. At vix ullus scriptor, qui prosa oratione libros confecit, hanc figuram adeo in deliciis habuit quam Columella, apud quem plurima alliterationis exempla exstant, quae nonnumquam de industria quaesita videntur. Jam Woelfflinus haec attulit: alacer atque audax VII, 6, 9. in colle quam in campo III, 2, 24. tam felix campis quam collibus III, 1, 3. latere ac luto IX, 1, 2. limosus lutosusque II, 4, 6. lusus ac lascivia VII, 12, 12. luxuriae et deliciis 1 praef. 14. mediocris et modice siccus III, 5, 3. post hanc tam multorum tamque multiplicium rerum praedicationem 1 praef. 28. ordinatus et ornatus XII, 3, 9. prata et pascua III, 3, 3. sereno siccoque XII, 19, 3; II, 2, 8. sex vel septem II, 12, 3. vasa et vestem XII, 2, 2. tam variae tamque vastae scientiae 1 praef. 28.

---

[1]) De hac figura iam supra disseruimus pg. 56.

[2]) Cfr. Lachmann, in encyclopaedia ab Erschio et Gubero edita. s. v. Allitteration.

[3]) E. Wölfflin: Ueber die allitterierenden Verbindungen der lat. Sprache in: Sitzungsberichte der Akademie der Wissenschaften zu München II. 1881.

Exemplis istis a Woelfflino allatis G. Helmrichius [1]) haec adiunxit: nec coeli nec campi X, 50. capitum et capillorum 1 praef. 5. colla cervicesque VIII, 2, 9. cultu curaque X, 141. edendis educandisque II, 1, 5. fumo et fuligine I, 6, 18. fortis fortunae X, 316. latos et lacertosos I, 9, 4. leviter et laxe XII, 47, 2. hinc maria, hinc montes X, 209. modus mensuraque I, 3, 8.. paucae parvaeque VII, 5, 1. plumam pinnasque VIII, 4, 4. populari ac plebeia mensura I, 3, 10. refugere et reformidare III, 3, 1. socors et somniculosus I, 8, 2.

Invenitur autem allitteratio apud Columellam permultis aliis locis e. g.: ab accipitribus et aquilis VIII, 2, 7. aquila vel accipiter VIII, 4, 6; VIII, 15, 1. aceto et alumine VI, 31, 2. Africus vel Auster XI, 2, 36. Austri et Africi XI, 2, 34. agrorum arborumque VIII, 9, 4. potius in area et in acervo quam in agro II, 20, 21. caementis et calce IX, 1, 2. calce aut cornu VI, 2, 8. caliginem et carbunculum III, 2, 4. campo magis quam colle II, 2, 3. in campis vel collibus II, 9, 2. cantare aut etiam calcare VIII, 5, 24. capillos aut cervina cornua VII, 4, 6. in capite aut in crure III, 10, 2. caput et columen III, 4, 3. cauda clunesque VIII, 7, 2. caulem aut cymam XII, 56, 3. et a cibo et a coitu VIII, 11, 6. cinerem caenumque cloacarum et culmos ceteraque II, 14, 6. coci et cetarii XII, 46, 1. in cogendis recipiendisque ovibus VII, 3, 26. coliculum et cymam XI, 3, 24. collem et clivum XIII, 1, 6. communia et certa praecepta VI, 1, 2. concuti atque concitari VI, 37, 2. condere et calcare XII, 15, 2. cornis aut cornicibus XII, 46, 2. cornus et caprinus V, 7, 1. cribrare et secernere XII, 50, 1. aut crure aut cornibus V, 5, 12. incubare et excludere VIII, 2, 6. cucumeres aut cucurbitae XI, 3, 50. cucumis et cucurbita XI, 3, 48. culina et caprile (al. caseale) II, 14, 7. culmo vel carice XII, 15, 1. cultum curamque VII, 5, 1. et curam et cibum VII, 4, 1. curari aut concinnari XII, 2, 6. curvata et praecipitata IV, 24, 19. deputatum et depositum III, 10, 19. docendus et edurandus XI, 1, 7. docetur aut discitur XI, 1, 4. doctissimum et diligentissimum II, 15, 4. neque doctores neque discipulos 1 praef. 5. educet producatque V, 5, 7. durissimae densaeque (setae) VII, 9, 2. defatigatum et effetum (solum) I, 1, 1. effervescat et fluat XII, 28, 2. fermentum vel farina VI, 12, 4. fertiles et firmae III, 10, 3. ferulam et feniculum XII, 7, 4. figulus aut faber XI, 1, 9. figurandi (ceras) fingendique IX, 15, 7. firmiores arbores atque feraciores V, 10, 10. firmiores et feraciores XIII, 21, 2. fortissimum quemque et frugalissimum XI, 1, 19. frondem et folia ficulnea XI, 2, 101. fructum et fartum V, 10, 11. nec fructum nec (laetam) frondem V, 9, 15. fructus familiamque

---

[1]) Cfr. Blätter für bayrisches Gymnasialwesen 1882. pg. 193.

VII, 12, 1. frumenta et favi IX, 14, 5. neque fumus neque fuligo XII, 52, 13. fundo familiaeque XI, 1, 3. ignem et incendium II, 18, 1. labris (vasorum) aut lateribus XII, 23, 2. laedatur aut delibretur V, 6, 16. Libero Liberaeque XII, 17, 4. in longitudinem potius quam in latitudinem IV, 31, 2. longitudinis ac latitudinis III, 13, 13. maiora atque meliora XII praef. 7. mediocribus vel macris II, 9, 2. mellis aut mulsi XII, 49, 6. morborum et remediorum VII, 5, 1. novellos et nitidos (ramos) V, 11, 9; XIII, 26, 8. pabula aut etiam pascua VII, 3, 20. paleas aut pulverem XI, 3, 9. pallido et pexo (folio) XI, 3, 26. partibus et paulatim II, 3, 2. magis pampinatio quam putatio IV, 27, 2. panis potionisque (bonitatem) I, 8, 18. campo patente et (ad solem) prono II, 9, 3. pavimentorum et parietum I, 6, 16. pecudibus atque pastionibus IX, 16, 2. (nomina) et pecuniae et peculii VI praef. 4. perpensas exploratasque res 1 praef. 29. perpensum et exploratum III, 3, 1. vasa bene piccata et pura XII, 28, 3. piccata praeparataque ligna XI, 2, 71. locis pinguibus et planis XIII, 3, 1. pinguis ac putris II, 2, 5. piros et prunos III, 11, 5. plagarum et penuriae VII, 1, 2. planus et pinquis IV, 30, 3. neque pluviae neque pruinae IV, 20, 4. pluviarum procellarumque, IV, 17, 7. praeter polentam et pollinem VIII, 14, 11. porticibus ac pomariis IX praef. 2. potione et pabulo VII, 10, 5. praeparatae et pectitae lanae XII, 3, 6. in prata et ad piscinas VIII, 14, 8. pratis vel pascuis II, 2, 7. pratorum possessionem pascuorumque III, 3, 1. priorum vel praesentium I, 4, 4. quae probanda sint quam quae repudianda I, 1, 6. proximam propriamque curam VIII, 1, 1. pullos atque plumam VIII, 13, 3. expurgare et replere VI, 32, 3. quam bene putare tam diligenter pampinare XIII, 11, 1. quattuor vel quinque XIII, 9, 1; XI, 2, 75; II, 12. 1. cf. XII, 45, 1; IV, 22, 2; XI, 3, 57; XII, 38, 5. quattuor aut quinque II, 10, 15. cf. V, 5, 11. ramos aut rubos XI, 2, 19. rapum et raphanum XI, 3, 62. recondere et recalcare. II, 2, 19. regiae et radii XIII, 17, 3. retinere et retardare II, 2, 26. riguis aut rosidis locis VI, 3, 2. aut obruenter aut eruenter XI, 3, 22. obruito et rigato XIII, 9, 1. sarrita et stercorata XI, 3, 24; XI, 3, 41. sarritio et stercoratio XI, 3, 32. sationibus et stercoratione II, 2, 13. sautiat tamen et resecat IV, 27, 2. scrobem vel sulcum XIII, 4, 4; XIII, 4, 5. cf. V, 4, 2. scrobis aut sulcus V, 5, 1. in scrobem et sulcum V, 9, 10. sedulitatem et satietatem VI, 27, 1. septimo et sexto XI, 2, 66. sereno et sicco coelo XII, 16, 1. cf. II, 11, 8. siccus et resolutus II, 9, 5. soluta siccaque terra II, 9, 14. solutum et siccum locum II, 9, 3. spumam et spurcitiam XII, 17, 2. stercorari sarririque XI, 3, 32. stirpes et spinas II, 17, 11. superior et siccior XIII, 10, 2. surculo et segetibus II, 14, 7. tribulam et traham II, 20, 4. trunco vel terrae III, 10, 16 ad protegendos tutandosque

partus III, 10, 11. e vepribus et e viis II, 14, 6. veteres vel vitiosi IX, 15, 10. villico vel etiam vinitori III, 20, 6. vincire aut vehere II, 21, 4. sine vitio aut vermiculo XII, 10, 4. vilis vulgarisque (asellus) VII, 1, 1. voce potius quam verberibus II, 2, 26.

§ 74.

De figura, quae dicitur „litotes". [1])

Haec figura, quae apud elegantiores scriptores raro invenitur, [2]) apud Columellam usitatissima est. Affero primum adiectiva, deinde verba.

Non ignarus: 1 praef. 22 sit oportet rerum naturae sagacissimus, declinationum mundi non ignarus. Non incommodus: II, 9, 3 humus — far — non incommode alit. VI, 23, 1 stabula sunt optima saxo aut glarea strata, non incommoda tamen etiam sabulosa. cf. I, 8, 15; III, 19, 2; IV, 30, 3; XII, 52, 7. Non ingratus: VII, 8, 7 est etiam non ingrati saporis muria. Non inhabilis: VI, 1, 1 Campania boves progenerat — non inhabiles. VII, 3, 6 eius quadrupedis aetas — optima est trima, nec tamen inhabilis usque in annos octo. Non iniucundus: II, 10, 35 (cicera) hominibus non inutilis neque iniucunda est. XII, 43 est (caseus) etiam per se non iniucundus. Non immeritus: II, 2, 22 illud repudiatum est, neque immerito. cf. VII, 1, 1 asellus, cuius — praecipuam rationem volunt esse; nec iniuria. Non improbus: VI, 1, 3 bos cruribus longis nec genibus improbis. VII, 9, 3 (sus) annicula non improbe concipit. Non inscitus: IV, 27, 2 id plurimum refert non inscite facere. Non intempestivus: III, 7, 3 non intempestivum est nos ad ea praeverti. III, 12, 1 non intempestive memorabimus. cf. I, 6, 17; XI, 2, 74; XIII, 1, 1. Non inutilis: IV, 33, 6 non inutiliter et abunde disserui. V, 6, 5 fraxinus — ovibus gratissima est nec inutilis bubus. cf. II, 10, 35. IV, 33, 6. XII praef. 7. Non invitus: III, 3, 13 ut non inviti — rustici a me mercentur.

Non alienus: III, 3, 1 non alienum puto. XI, 2, 20 satio non est aliena huic tempori. cf. VIII, 6, 1. Non aeger: I, 3, 4 non aegre iter pedibus ingredi. III, 20, 5 istud non aegerrime perficiemus. cf. VIII, 7, 1; IX, 5, 1; XI, 1, 26. Non difficilis: IV, 26, 6 neque est difficile. V, 3, 1 non difficiliter. Non dissimilis: VIII, 10, 6 vasa non dissimilia sint gallinariis. cf. IV, 29, 5. Non dubius: II, 2, 14 quasi confessa nec dubia signa. VII, 3, 11 haud dubie. Non exiguus: III, 3, 2 non exigua cura fuit. VI, 17, 1 mus non exiguam pestem molitur.

---

[1]) Vide de hac figura Karl Weymann, Studien über die Figur der Litotes. XV. Suppl. Bd. der Jahrbücher für klassische Phil. 453—556, Leipzig 1886.

[2]) Cfr. Kühnast, Livianische Syntax pg. 303.

cf. VIII, 5, 9; XII praef. 4. Non facilis: VI, 1, 1 non ex facili dixerim. VIII, 8, 8 non facile dictu est. XI, 1, 9 haud facile dixerim. Non gravis: IX, 5, 2 quo saepius descendere non sit grave possidenti. Non magnus: XII, 46, 1 quae non magna impensa possunt contingere. III, 5, 2 non magnam sentient differentiam. Non mediocris: I, 1, 8 non mediocri cura negotium prosecuti sunt. Non minor:[1]) I, 1, 11 nec minore fide — tributum intulerunt. 1 praef. 14 iugera non minus industrie colere. cf. I, 1, 14; III, 4, 3. Non minimus: III, 17, 1 non minima disputatio fuit inter auctores II, 2, 21 ager non minimum exuberat. cf. 1 praef. 27; VII, 5, 18; XI, 1, 12 (saepius). Non nimius: VIII, 8, 9 albus (color) a quibusdam non nimium laudatur. Non obscurus: XII, 4, 2 non obscuri scriptores Mnaseas atque Paxamus. Non optimus: VI, 37, 6 murinus non optime respondet. Non pessimus: IV, 13, 2 optima est — genista; non pessime tamen — faciunt arundinum quoque folia. cf. VIII, 16, 8. Non unus: III, 18, 2 eius vitandae non una ratio est. cf. IV, 29, 10; III, 6, 4; XII, 12, 1. Non nihil: I, 3, 4 nec nihil esse etiam parvo vehi. Non sine: X praef. 4 non sine spe prosperi successus. cf. VII, 8, 3.

Non abhorrere: VIII, 8, 1 horum possessio non abhorret a cura boni rustici. Non abnuere: II, 21, 6 nec ego abnuo docendi curam. Non absistere: XII, 19, 4 nec absistat id facere. Non ambigere: II, 2, 15 nihil de ceteris ambigo. Non assentiri: IX, 6, 3 itaque non assentior ei, qui putat. Non cedere: I, 1, 9 nec his cessere Milesii. Non contemnere: VIII, 10, 6 propter quae ne rusticis quidem contemnendus sit hic reditus. Non dedignari: I, 1, 13 nec postremo — meminisse dedignemur. Non diffiteri: II, 1, 7 nos quoque non diffitemur. Non displicere: IV, 13, 1 quod nec mihi displicet. Non dissimulare: IX, 6, 2 quamvis incommodum — non dissimulaverit. I, 1, 6 non dissimulanda erunt praecepta. VI, 37, 3 non dissimulandi auctores. Non fallere: IX, 14, 12 nec me fallit Hipparchi ratio. Non fastidire: II, 9, 19 milium pultem — non fastidiendam praebet. Non ignorare: II, 1, 2 nec te ignoro — auctoritatem revereri c. cf. I, 2, 1; III, 1, 6; XI, 2, 98; XII, 46, 1 (saepissime). Non infitiari: V, 1, 1 neque ego infitior aliqua me praeteriisse. Non negare: V, 5, 4 hoc ego — non negaverim. Non omittere: IX, 16, 1 cerae fructus — non omittendus est. XII, 25, 1 eam quoque partem curae non omittendam putavi. Non pigere: V, 6, 1 non pigebit deinceps praecipere. Non poenitere: I, 8 15 quae

[1]) Saepissime formula „nec minus", quae arctius membra inter se connectit quam simplex particula „et", invenitur.

me custodisse non poenitet. Non praeterire: 1 praef. 28 non me praeterit tardatum iri studia. Non recusare: II, 1, 1 sine cunctatione non recuso docere. Non spernere: VIII, 2, 4 non spernendus est reditus. I, 1, 4 non spernendus auctor rei rusticae Saserna.

§ 75.

De translatione.

Translationes, quae ut apud alios scriptores, ita apud Columellam quoque plerumque verbis effectae sunt, maxima ex parte eam speciem gerunt, ut res inanimae animatae esse videantur.

Ita persaepe verba, quae „motum" significant, ad res inanimas transferuntur: I, 2, 5 rivi decurrentes — aquae salientes. I, 5, 3 aqua repit. II, 16, 5 humor prorepit. IV, 12, 2 prorepens pampinus. XI, 2, 38 prorepentes arborum oculi. IV, 3, 3 herbae irrepentes. II, 2, 1 collis clementer et molliter assurgens. III, 17, 7 vitis amplo incremento consurgit. II, 8, 4 sementis uno die surgit. IV, 7, 2 serpit vaporis violentia. II, 17, 6 radices serpunt. XII, 47, 2 vitia serpunt. XIII, 6, 1 summa parte terrae nantes radices. V, 5, 6 prodeuntia cacumina. VI, 27, 7 in sacro monte Hispaniae, qui procurrit in occidentem. VI, 15, 2 ignis in favillam recidit. VI, 19, 2 descendentes per foramina regulae. V, 3, 9 procedit disputatio. I, 5, 10 aedificium quasi surgenti reluctans oneri cedit. II, 2, 15 paludes oculis occurrunt. II, 16, 5 palus subsidens. II, 17, 6 prata subsidentia. III, 21, 4 quocunque domini oculi accessere. II, 20, 2 maior pars (granorum) ad terram defluit.

Verba, quae significant „perceptionem" vel „commotionem" animi, de rebus inanimis adhibentur, veluti: VIII, 3, 11 villae pars, quae spectat orientem. V, 5, 9 brachia (vitis) coelum aspiciunt. I, 5, 5 villa mare conspicit. XIII, 17, 4 arbusculae easdem coeli partes aspiciant, quas etiam in seminario conspexerant. IV, 26, 3 palmae in terram despiciunt. — V, 9, 18 tota arbor contristabitur. III, 20, 1 vitis siccitatibus gaudet. XIII, 4, 1 vites gaudent arboribus. I, 6, 24 laetatur eiusmodi alimentis arbor. XIII, 21, 1 ficus loca aprica amat. XIII, 1, 4 iam quasi ab incunabulis vitis exiguo assuescat humori.

Haud raro Columella res ad hominem animaliave atque humani corporis partes revocavit. Ita dicit: novalium „terga" II, 2, 23; soli „terga" IV, 14, 1. Arboribus tribuit „humeros" [1]): XIII, 20, 1 observabis autem ab humeris, ut eosdem decerpas. XIII, 3, 1 optima (semina) habentur a lumbis secunda ab humeris tertia

[1]) Hanc translationem sermonis vulgaris propriam esse ex ipso Columella intellegitur; III, 10, 5 „itaque custodiemus, ut ex praedictis locis, quos humeros rustici vocant, semina legamus".

a summo vertice vitis lecta. „crura“: XIII, 16, 3 ab ipso arboris crure. III, 10, 2 in capite vitis aut in crure. Vites „brachia“ et „oculos“ et „cervicem“ habere videmus: V, 5, 9 brachia vitis coelum aspiciant. IV, 24, 16 gemmantem vitis oculum. XI, 2, 38 prorepentes arborum oculi. IV, 7, 3 decacuminare (malleolum) conveniet, ut in cervicem potius confirmetur. Terrae „ubera“ tribuit: III, 21, 3 alma tellus annua vice velut aeterno quodam puerperio laeta mortalibus distenta musto demittit ubera. Cfr. IV, 29, 14 tradux, qui materno sustinetur ubere.

Eandem hanc terram ex poëtarum, praesertim Vergilii, more appellat „matrem“: IV, 20, 2 terrae matris alimenta; „parentem“: II, 1, 2 parentem omnium terram. III, 10, 11 hac lege pecudes ac virgulta progenuit, hac vitium genera figuravit, quibus eadem ipsa mater ac parens primum radices velut fundamenta quaedam iecit. Similiter naturam dicit „parentem“: III, 9, 1 benignissima omnium rerum parens natura. Per translationem verba, quae sunt „suboles“, „partus“, de plantis adhibet: V, 6, 2 nemo iam serit ex samera, sed subolibus (ulmi). III, 10, 11 fronde sola vestivit ad protegendos tutandosque partus (vitium). Item verba, quae sunt „progenies“, „suboles“, de animalibus usurpat. VII, 9, 1 in omni genere quadrupedum — patri similior est progenies quam matri. VII, 6, 8 depellanda suboles capellarum est. Animalium pullos „filios“ vocat et „nepotes“:[1] VI, 37, 4 eiusmodi admissarius nepotibus (magis) quam filiis utilior est; e contrario animalia etiam „pater“ ac „mater“ nominantur cf. supra VII, 9, 1.

Praeter has translationes, in quibus omnibus poëticus quidam color elucet, hae fere mihi videbantur dignae esse, quae afferrentur.

a) Verba: II, 5, 1 crescente luna. II, 15, 1 decrescente luna. XI, 3, 9 nascentis anni. 1 praef. 13 exolevit disciplina ruris. XII praef. 10 exolevit — occidit vetus mos. 1 praef. 30 tonantibus Demostheni Platonique. III, 3, 6 imperare vitibus cf. IV, 24, 21; IV, 29, 12.[2]) I, 5, 6 militaris via infestat rem familiarem. I, 5, 8 positio procellis minus infestari poterit. I, 8, 14 iam res ipsa decoxit. II, 2, 23 terram vomere sauciare. III, 2, 10 vitis collem vestit. III, 3, 5, plurimas operas nec minus arcam patris familias exhaurire. IV, 18, 2 vastitas instantis operis debilitat animos. VI, 27, 3 armentum libidinis exstimulatur furiis. VIII, 16, 6 sic mores occalluere. XI, 2, 6 materiae ferrum reformidant. II, 4, 6 respuitur dens aratri.

---

[1]) De plantis „nepos“ dicitur: III, 6, 2 si (vitis) etiam nepotum fructu gravida est. cf. IV, 10, 2.

[2]) Cfr. Verg. Georg. I, 99: Exercetque frequens tellurem atque imperat armis.

b) Adiectiva et participia: 1 praef. 12 viridis aetas. I, 5, 2 spes artior. I, 8, 20 disciplina bene morata. I, 9, 4 velox animus. II, 4, 11 graciles (= macri) clivi. II, 9, 1 laetum solum. III, 5, 2 laetior ager (saepissime). II, 20, 5 saeva hiems. V, 6, 17 aemula umbra. VI, 14, 5 aureum medicamentum. VI, 37, 2 tacita quaedam vis. VII, 3, 20 blanda pabula. VIII, 2, 10 infestis velut sudibus. 1 praef. 1 defatigatum et effetum solum. VI, 36, 4 incensus et obcaecatus libidine. VIII, 11, 8 exstimulata libido.

c) Substantiva: 1 praef. 8 ventorum et maris ira. 1 praef. 8 maris et negotiationis alea. 1 praef. 23 coeli mores. 1 praef. 23 aestas venit — eodem vultu. 1 praef. 30 vastissima flumina facundiae. II, 9, 16 clementia hiemis. cf. IV, 23, 1 coeli clementia. II, 10, 31 hiemis violentia. III, 7, 3 opinio ignorantiae tenebris obcaecata luce veritatis caruit. III, 20, 2 tempestatum iniuriae. V, 5, 19 iniuria ventorum. II, 20, 5 nimia ventorum segnities. VI, 24, 4 pabuli laetitia. VI, 37, 1 amoris saevitia. VII, 3, 11 maestitia frigorum — hiemis jejunium. VIII, 17, 10 maris atrocitas — pelagi violentia.

§ 76.

De personificatione.

Personificatione et translatione usus Columella magna ex parte illud consequi studebat, ne oratio, ubi in talibus rebus versabatur, quae fere nullam sermonis varietatem et iucunditatem admittebant, nimis jejuna et arida fieret. Personificationem igitur multis locis invenies, veluti: I, 1, 8 Athenae scriptorum frequentiam pepererunt. I, 1, 16 usus et experientia dominantur in artibus. I, 1, 17 praecepta — scientiam — adiuvare promittunt. I, 3, 5 quem (villicum) mors aliaeque — causae mutant. III, 3, 3 cum prata et pascua et silvae — optime domino consulere videantur. III, 8, 5 Italia fruges ferre didicit. III, 10, 16 pampinarius fructum ferre condiscit. IV, 15, 3 flagellum condiscit ali. I, 1, 9 insulae quoque curam istam celebraverunt. I, 4, 2 loquuntur historiae. VII, 10, 8 Bucolicum loquitur poëma. VII, 3, 14 quoniam saepe frigorum atque hiemis saevitia pastorem decipit. VII, 3, 25 dum dies arvis gelicidia detrahat. VIII, 16, 3 lautitiae locupletum maria ipsa Neptunumque clauserunt. XII, 2, 6 ipse vacuus locus admonet. 1 praef. 14 intellego luxuriae et deliciis nostris pristinum morem virilemque vitam displicuisse. I, 2, 3 si voto fortuna subscripserit. II, 4, 9 si tepor coeli — suadebit.

Nonnunquam Columella personificationem latius prosecutus est, veluti I, 1, 12: „Et ut agricolationem Romana tandem civitate donemus, — nam adhuc istis

auctoribus Graecae gentis fuit — iam nunc M. Catonem Censorium illum memoremus, qui eam Latine loqui primus instituit; post hunc duos Sasernas, patrem et filium, qui eam diligentius erudierunt; ac deinde Scrofam Tremellium, qui etiam eloquentem reddidit; et M. Terentium, qui expolivit; mox Vergilium, qui carminum quoque potentem fecit."



Index.

Pars II: De ratione rhetorica.

